



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>





Digitized by Google







116. 1. 15.

DJ Schenck

THEATRUM  
MUSICO-DRAMATICUM  
AETATIS TUDERICANA



LIPSIA,

apud JACOBUM FRITSCH  
A. MDCCCVI.



B. 3

HISTORIÆ BRITANNICÆ  
ANTIQUITATIBVS

VIRO  
*ILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO,*  
DOMINO  
JO. BURCARDO  
ROESLERO,  
Dynaſtæ in Birckig,  
SERENISSIMORUM DUCUM SA-  
XONIÆ CONSILIARIO INTIMO, PRINCI-  
PATUS COBURGENSIS CANCELLARIO, ET  
AD NEGOTIA SUCCESSIONIS  
DEPUTATO &c.

*DOMINO AC MECÆNATI MEO SUMMA  
PIETATE COLENDO.*

ATQUE ETIAM  
V I R O  
PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO  
ET EXCELLENTISSIMO,  
DOMINO  
**JOANNI LUCIO,**  
SERENISSIMORUM DUCUM SA-  
XONIÆ IN PRINCIPATU COBURGENSI  
CONSILIARIO CAMERÆ, ET GYMNASII  
ACADEMICI IBIDEM SCHOLARCHÆ  
PRIMARIO &c.

**DOMINO ET PATRONO MEO MAXIME  
COLENDO,**

librum hunc consecrat

**JO. CONRADUS Schwarz**

VIRI  
ILLUSTRIS, PRÆNOBILISSI-  
ME ET EXCELLENTISSIMI

Cum virtutia & religionis sancta sit nobilitas, quantum bonarum artium fructus esse solet: non licet nobis dubitare, quin fortunatae sint illae civitates, quæ virtutem ac religionem cum bonis artibus conjungunt. Ita enim cognitio & amor Dei floret, humana Societas inviolate servatur, & suas quisque res constabilit. Quanquam vero haec felicitas omnis, ubi semel coepit, longe la-


X 3 teque

teque fluit , tamen ex uno fonte manat.  
 Etenim rectores civitatum sunt , a quibus  
 expectanda est cumulata bonorum omni-  
 um complexio. Cum enim illi virtutis  
 pariter ac doctrinæ laudibus excellunt,  
 tum vero pro se quisque virtuti & bonis  
 litteris studet. Neque id aliter fieri pot-  
 est. Magna est enim in exemplo vis, ne-  
 que animos erectos defatigari patitur ma-  
 gnorum virorum admiratio. Atque inno-  
 centia cum propugnatur, improbitas con-  
 tra debellatur : nihil uspiam invalescit,  
 quod felicitatem civitatis interpellat. In  
 nostra urbe Vestræ, VIRI SUMMI, præcla-  
 ra facinora late patent. Quacunque in-  
 gredimur, in aliqua Vestræ virtutis & sapi-  
 entiæ monumental vestigium ponimus.  
Quæ quidem cum dubitationem nullam  
 habeant, nec paucis versibus comprehendendi  
 possint ; merito hic a me non attingun-  
 tur ; cum præsertim summa Vestræ mode-  
 stia ne meritissimas quidem laudes exau-  
 dire soleat. Refertis enim recte facta  
 non ad famam & prædicationem , sed ad  
 conscientiam. Illud tamen dissimulandum  
 non est, quod totus ego Vester sum. VO-  
 BIS.

BIS Patronis , studia mea sensim adoleverunt & nunc efflorescere cœperunt , forte etiam quandam aliquando maturitatem consequentur . Quod ego tempus cum videro , efficiam ut intelligatis , saltem in hominem ingratum beneficia Vestra non collata esse , etiamsi non is sim , qui Vestrae expectationi respondeam . Interim accipite serena fronte , quæ VOBIS ego tanquam flosculos domesticos affero . Sunt enim in hoc libello sententiae quædam , quas mihi meum ingenium , mea meditatio dedit . Eas ego illam unam ob causam amo , quod VESTRIS beneficiis natæ sunt & creverunt : VOS eas tum ob VESTRUM in eas jus , tum ob accurationem & utilitatem , si qua forte in illis est , diligatis velim . Evidet si cum magnitudine beneficiorum VESTRORUM comparetur libellus hic , nimis parvus & tenuis videtur : sed tamen nunc a me grandior & splendidior expectari non poterat . Erant enim plerique omnia , quæ de Plagio dici possint , a viris longe doctissimis ingeniosissimisque dudum præcepta : erat propositum nostrum ab omni amplitudine alienum . Statue-

sacerdatis enim Muhammedum Scripturæ  
 Sacrae Plagiarium accusare, & ita quidem  
 accusare, ut solus veritatis, quæ semper in-  
 vista perstat, rationem habuisse videre-  
 mur. Quoे circa naturam plagi cogno-  
 scendam & denuo contemplandam suscep-  
 pimus. Quæ nobis de ea videantur, in  
 hunc libellum contulimus. VOS, VIRI  
 EXCELLENTISSIMI, quicquid hic meum  
 est, VOBIS sacrum habeatis, observantis,  
 sime peto. Valete, & quod dudum faci-  
 tis, VOBIS me commendatum habete,  
 Scribeb. Coburgi, ad d. i. Decembr. A. C.  
**M DCCV,**

**LECTO-**



# **LECTORI**

**S. P. D.**

## **IO. FRANCISCUS BVDEVS.**

**Q**ui aliorum libris præfamina præmit-tunt, rem prorsus inanem, nec decoram admodum mihi agere vi-dentur. Namque si sua se utili-tate liber commendat, suoue stat pretio quorsum hedera illi suspensa? sin in il-lorum referendus est numerum, quibus carere facili negotio, nec sine insigni damno orbis eru-ditus potest, hoc demum, qui laudibus intem-pestinis eum aliis obtrudant, mihi agere viden-tur, vt ignorantiae fraudem comitem adiungant fallantque incautos & rerum imperitos turpi-ter. Nee sine arrogantia quadam id fieri pos-se videtur, cum ad sibi sumere censcantur, ac

si sua auctoritate addere pretium libro queant,  
frequentioresque allicere emptores.

Quæ cum mecum expenderem, dubitauimus  
paulisper, an a doctissimo auctore, cuius lectoris  
sisto de plagio litterario commentarym im-  
positam, præfandi aliquid pronunciam, suscipe-  
rem. Nec enim detrectare eam commode po-  
teram, adire autem, allatæ prohibere videban-  
tur rationes. Arrogantiæ equidem euitari fa-  
cile suspicionem intelligebam, si quis rationibus  
& argumentorum pondere, non sola auctorita-  
te, pretium non tam conciliare libro, quam id,  
quo gaudet, producere velut in lucem, & cui-  
dientius demonstrare annitatur. Hinc de se-  
quis, rebus omnibus probe exploratis, ita sta-  
tuebam dubiis: istos quidem, qui libros ineptos,  
vānos, illepidos, suis non detrectant ornare en-  
comiis, nec honestatis nec famæ suæ vllam ha-  
bere rationem: cum contra, qui vtilles & eru-  
ditos laudant, nihil demum quod reprehendi  
debeat, faciant. Suo, fateor, hi se commendant  
pretio, sua vtilitate. Num vero ideo nefas ad-  
dere testimonium, publiceque profiteri, istum  
sibi non dislīcuisse laborem? Ast forte nihil  
prodest ejusmodi testimonium. Immo prode-  
rit, si qui forte, de pretio libri adhuc incerti, te-  
stimonio isto ad accuratius cūndem cūoluendūm  
adducantur.

De-

De plagio litterario extant virorum doctissimorum, quorum meas laudes longissime superant, insignia in rem litterariam merita, eruditissimæ commentationes. Num ergo iliada post Homerum auctor scripsit? Minime, si recte institutum, ex breui, quam vidi, delineatione capiam. Nec infrequens, vt idem duos aut plures occupet argumentum, quorum singulos sua merito maneat gloria. Qui inueniunt, præcipuam referunt laudem, nec tamen parciori manu sepius hæc illis quoque tribuenda, qui inuenitis aliquid addunt. Præsertim si modeste hoc faciant, nec detractum magnorum virorum quidquam existimationi cupiant. Namque per aliorum stragem ad summa eniti, præceps & lubrica via est, in qua sine lapsu periculo ingenti progressi non licet. Ab horum ergo merito alienus moribus est auctor clarissimus, quæ profecto laus eius non postrema est.

Ceterum de plagio commentanti, danda maximopere opera fuit, ne ipse plagii suspicacionem incurreret: criminisque, quod in aliis damnat, hoc ipso, dum damnat, reus fieret. Quare afferenda in medium ea erant, quæ ab aliis aut prætermissa erant, aut non dilucide satis proposta: sed ea quæ simul momentum traherent, & quæ legisse poeniteret neminem. Ita enim si comparata

parata non sit commentatio, vix, quæ lucem videat, digna reputabitur. Nec auctor doctissimus hoc ignorauit: immo hisce accurate stetit legibus. Dictis fidem facient, quæ de veteris testamenti vatibus, an aliorum referendo vaticinia, plagii suspicionem incurant; de plagii divisione, & origine, erudite disputat. In his enim omnibus ita versatur ut non tam aliorum opinionem, quam mentis suæ cum libere sequi iudicium, palam sit: Nec accurate minus singula plagiariorum indagat genera: quod & utile & necessarium admodum scitu existimo. Namque non modo hinc contingere potest, vt peccata esse eruditæ discant, quæ peccata esse forte ignorarunt, aut saltem inter leuissima retulerunt: sed vt compensatione quadam, grauitas leuitasque istorum tam frequentium criminum, eo apertius inde elucescat. Namque profecto hoc caput eausæ, hic fructus laboris præcipuus, vt in hoc quoque capite ad pietatem erudirentur, illi ipsi qui ab eruditione & sapientia nomen habent. Namque non modo salutare id omnibus est, sed ad existimationem eruditis conciliandam vel maxime pertinet, vt honestos eum doctrina coniungant mores. Quod quo minus fiat, inter alia illud obstat, quod, quæ inter illos regnant vitia, ad risum aut exprobationem, vel curiositatem quandam, minime ad detestationem notari soleant. Nec paucos forte esse credo, qui plagii, non tam ob religionem

nem, quam ob dedecus, deuitant crimen, quod parum id sibi honorificum fore credant, si in hoc crimen deprehensi, aliorum ludibrio exponantur.

Qui, ut omnium animis eo rectius evella-  
tur error, plurimum quoque efficiet demonstra-  
ta accurate ab auctore sententia, plagium na-  
tura sua turpius esse farto. Quod et si ~~magi-  
doꝝ~~ multis videri poterat, in hanc tamen omnes  
facile, ut credo, descendat sententiam, si ratio-  
nes, quibus id evincitur, penitus considerue-  
rint. Nec tamen ita, ut censeo & ex quibus-  
dam huius libri locis plane colligo, ab auctore  
clarissimo hocce capitulū, ut nunquam furtum  
turpius esse posse plagio. Namque cum graui-  
tas leuitasque delictorum a ~~repisātoriis~~ ratio-  
ne, cum primis & ab effectu aestimanda veniat,  
contingere omnino potest, ut tum ob alias ra-  
tiones, tum ob damnum pluribus in rebus, maxi-  
me necessariis, illatum, quod nec reparari que-  
at, furtum perniciosius recte censeatur, quam  
plagium. Sed ista tum a specialioribus proce-  
dit comparatio rationibus, cum auctor contra  
generatim (quia de specialissimis ~~repisātoriis~~ tra-  
dere infinitum foret) furtum eum plagio ita  
contendat, ut, tanto, merito hoc illo turpius  
pronunciaverit, quanto rebus caducis sapientie  
praestant precepta, quantoque alio ~~repisātoriis~~  
pla-

plagio turpiores sunt, quam ~~περισάσις~~ furti.  
 Habet vero & in eo , vt reliqua nunc taceant,  
 peculiare quid, sibique proprium Auctor, quod  
 quæstionem non iucundam minus, quam neces-  
 sariam moueat , quinam homines plerunque,  
 & velut per naturam plagiarii sint ? Namque  
 an quisquam illorum, qui hoc pertractarunt ar-  
 gumentum, in eam inciderit ! dubito. Ad ori-  
 ginem autem causasque vitiorum pernoscendas  
 vel maximopere pertinet , habere exploratum,  
 ad quodnam quisque sua natura feratur vitium.  
 Vellem omnino , vt in quibusuis vitiis descri-  
 bendis eadem obseruaretur ratio , vt quinam  
 ad illud per naturæ, aut educationis conditio-  
 nem, aliasque causas, naturales & morales, es-  
 sent præ ceteris propensi , observaretur accura-  
 te. Doctrinam ita moralem ciuilemque habe-  
 remus multo locupletiorema : possetque inde  
 fructus longe vberrimus & ad christianam, &  
 ad ciuilem vitam, deriuari. Ad ipsam quidem  
 doctissimi auctoris sententiam quod attinet,  
 nescio an ea omnibus se sit adprobatura : nec  
 tamen ideo operæ non fecit pretium , quod  
 primus hanc in rem inquirere accuratius insti-  
 tuerit. Censet namque cholericos maxime  
 plagiarios esse , sape etiam melancholicos, raro  
 voluptuarios. Alii contra existimare possent,  
 maxime melancholicos saepè voluptuarios, raro  
 cholericos, hocce vitiorum genere pollui. Hi  
 enim

enim vt contemptum famæque iacturam maximopere metuunt , ita vix vnquam in istud amittendæ existimationis periculum se adduci patientur.

Præterea , cum iudicio polleant, periculum facilius prospiciunt quam reliqui. Et cetera adsint , non facile illis deerit , quod ex proprio fundo promant', si ad scribendum animum adiunixerint : præsertim cum , qui ita comparati sunt, non tam in copia aut vbertate, quam ἀκριβείᾳ , cui exercendæ non temere campus deest, gloriam omnem laudemque quærere soleant.


Sed fecisse tandem mihi videor , quod facere animus erat : perhibere libro testimonium , aperire animi sententiam , quod labor hicce mihi admodum placeat , néc disPLICERE , nisi rerum omnium ignaris , queat. Quæ me affallat sententia, mihi dubitandum non existimo: cum rationibus suffultus iustis ista pronunciasse mihi videar. Conspirant , nisi me omnia fallunt, in hæc commentatione præcipuæ boni scriptoris laudes : argumentum vtile , exquisitum ; id quidem pertractatum ab aliis , sed ita repetitum, vt solerti meditatione addita , emendata , immutata sint, haud pauca ; iudicium præterea adhuc subactum, nec destitutum modestia, ratiōnes

( )

nec solidæ, selectæ, dicendi ratio pura, casta,  
argumento accommodata; nec contumeliosus,  
& plane ad rem faciens rei litterariæ adparatus. Hæc lector ita deprehendet, & me vere  
censuisse iudicabit: si quis vero secus se rem ha-  
bere existimauerit, amori meo in auctorem,  
meum quondam per aliquot annos auditorem,  
nunc amicum longe charissimum, quem ob erudi-  
tionem singularem & mores honestissimos plu-  
rimi facio, me aliquid deditse (quod tamen lu-  
bens sciensque non feci) haud, credo, ægre fe-  
ret. Vale lector beneuole, & a iuuene doctissi-  
mo alia adhuc præstantissimi ingenii monu-  
menta expecta. Jenæ Kalendis Novembris.

M DCC.V.





# DE PLAGIO LITTE- RARIO.

## CAPUT I.

### DE ORIGINE ET USU VERBO- RUM PLAGII ET PLAGIARII.

#### §. I.

**C**um nobis id nunc propositum sit, ut de Plagio litterario disputemus; merito superiorum temporum eruditos imitamur, qui primum verba, dein de rem ipsam proponebant. Quanquam enim Critici verborum considerationem præcipuo jure sibi vindicent, tamen quia philosophi, verbis declaratis, res suas felicius explicant, merito ab ipsis etiam vocabulorum consideratio rerum contemplationi præmittitur. Est autem in verbis & origo & usitata significatio contemplanda. Origo saepe suppeditat observationes, quæ ad cognoscendam veterum opinionem & rerum naturam conducunt. Usus res, opiniones & consuetudines singulorum temporum declarat.

§. II. Quodsi igitur exquiramus, unde plagi-

A

Digitized by Google

gium

gium revera ductum sit, nihil melius veriusque occurrit, quam verbum *Plango*. Plango autem idem valet, quod percutio. Eadem igitur ratione, qua *Naufragium a nave frangenda*, Plagium a plangendo ductum existimamus. Hæc conjectura stabilitur, si syllabas communes utriusque verbi, & *Naufragii* & *Plagii*, consideres. Plagium enim correptam habet primam syllabam, non minus ac Naufragium secundam.

S. III. Plagium igitur, si ejus ortum species, amplissimam illam vim & potestatem habet, quam percussio & pulsatio. Sed, ex consuetudine loquendi, non quamvis percussionem, sed abactum & depulsionem hominum invitorum designat. Neque vero cuiquam mirum videri debet, ab amplissima significatione ad angustissimam restrictum esse Plagium. Usus enim significationem verborum ab originis suæ vi sæpe deflectit. Constat id ex ipso *Naufragii* verbo, quod modo afferebamus. Hoc enim usitate non quamvis dissolutionem lacerationemque navium significat, sed illam præcipue, quæ necopinato & tempestatum injuria fit. Idem elucet ex iis disputationibus, quæ de verbo *Prætorii* inter Huberum & Perizonium intercesserunt. Etenim Huberus non solum tentorium Imperatoris Prætorium appellari putabat, sed etiam ejus Palatium in urbe. Perizonius contra negabat verborum potestatem ex origine, quam Huberus jactabat, sed ex usu & consuetudine vitæ judicandam esse. Usus autem eorum temporum,

de quibus disputatio erat suscepta, Prætorii verbum ad milites prætorianos & eorum castra accommodabat.

§. IV. Neque vero deest ratio, qua factum esse putemus, ut abactus hominum a plangendo, id est percutiendo, denominaretur. Etenim cum homines inviti abducebantur, credibile est profecto, eos saepe plagis fuisse afficiendos & continenter trudendos, ne domum redire ac fugam tardare identidem laborarent.

§. V. Scilicet cogitanda sunt nobis antiquissima illa tempora, quibus Plagii verbum est contum. Tum enim inter gentes latrocinia & omnis generis vexationes florebant, neque ullam infamiam habebant. Quod multis argumentis Grotius \* probat & Pufendorfius. \*\* Peccudes igitur & reliquam prædam facile absportare poterant latrones: sed cum hominibus, quos abducebant, gravius sine dubio certamen erat. Quis enim est, qui servitutem lubenter adeat? Servitus enim & nonnunquam majores injuriæ captivis erant perferenda.

§. VI. Atque hac origine, quam Plagio nunc assignavimus, contenti sumus, ne forte, si ultra progrediamur, multis difficultatibus implieemur, iisdemque non necessariis. Gravis est enim quæstio, utrum, quod aliqui volunt, plango a Greco πλάγιῳ sit ortum; an plango

A 2

&

\* *Libr. II. de Jure Belli c. XV. §. 5. & libr. III. c. 3. §. 2.*

\*\* *De Jure Natur. & Gent. libr. II. c. II. §. 10.*

& πλήττω, ut alii putant, paris sint antiquitatis. Si verum esset id, quod aliqui putant, ex Græcia colonias græcas \* in Italiam incultam adhuc & desertam primo deductas esse, nihil esset dubitandum, quin plango græcae originis judicaretur. Sed cum non minus verum sit illud, quod alii ponunt, Italiam eodem tempore quo Græcia, vel etiam paulo ante a posteris Japeti occupatam & cultam esse, nihil profecto impedit, quominus utrique verbo eandem originem & parem antiquitatem tribuamus. Quamobrem & plango & πλήττω pro uno linguae Japeticæ fragmento habebimus. Sicut autem duo surculi, qui uno eodemque tempore stirpi sunt detracti, cum diversos in locos importantur, sensim aliquam diversitatem nanciscuntur; ita plango & πλήττω propter locorum diversitatem sonno sensim differre cœperunt. Etenim principio non πλήττω, sed πληγω dictum fuisse arbitror, sicut a πήσσω etiamnum πήγνυμι superest. Hæc ut ita sentiam, partim ratio effecit, partim auctoritas Jobi Ludolfi, viri summi ac pene singularis. \*\*

§. VII. Cogitabam hic novam Plagii originem interponere, jam tum confictam & politam:

sed

\* Id est tales, que lingua, a vicinarum gentium linguis diversa, uterentur. Qualis diversitas hodie est lingua græca, & Turcica & Polonica.

\*\* Vid. Schaubühne der Welt-Geschichte tom I. in prefatione.

sed istud consilium deinde mutavi. Illa enim quanquam fortassis nihil cederet conjecturis clarissimorum virorum, qui Tigrin ex לְקָרְבָּן, & lunam ex לְוִי factam volunt: tamen omittenda visa est, ne conjecturis licenter indulgere videar, quas in hujusmodi rebus nunquam satis coērcent plerique.\*

§. VIII. Jam igitur liquet, Plagium unde duētum sit, & quid sonare soleat ex usu communī. Ergo non poterit esse obscurum, quis usitate *Plagiarius* appelletur. Is videlicet, qui se Plagio commaculat, id est, qui homines violenter secum abducit, ut obnoxios sibi propriosque faciat.

§. IX. Verum sicut cetera verba, propter similitudinem rerum quas designant, a propria significatione ad alienam sāpe transferuntur: ita *Plagium* quoque & *Plagiarius* ad alias res accommodari possunt. Sed haud scio, an verbum *Plagiarii* ad ullam personam elegantius accommodari queat, quam ad Poetam aliena carmina pro suis venditantem. Quod Martialis fecit, his quidem versibus: \*\*

Commendo tibi, Quintiane, nostros  
(*Nostros dicere si tamen libellos*

A 3

Pos-

\* *Judai*, e. g. qui in *Mischna de Heterogenis* cap. VIII. n. 8. verbum שְׁעַטְנָה ex יְשָׁוֹשָׁן, וְתָזֵב כְּנָה conflatum credunt. Maimonides etiam passim in his rebus peccat, & multi alii.

\*\* *Libr. I. Epigrammat. LIII.*

Possum, quos recitat tuus Poeta.)  
Si de servitio gravi queruntur,  
Assertor venias satisque praestes:  
Et cum se dominum vocabit ille,  
Dicas esse meos manuque missos.  
Hoc si terque quaterque clamitaris,  
Impones PLAGIARIQ pudorem.

Hi versus intellectu proclives sunt, si tecum recorderis mores, qui Martialis ætate Romæ florabant. Solebant videlicet eo tempore viri erudit*i* orationes & carmina sua amicis legere, ut eorum judicia explorarent. \* Solebant etiam filii servique manumissi \*\* ab improbis hominibus nonnunquam in servitutem redigi. Quod cum fieret, non deerant alii, qui pecuniæ summa apud Judicem deposita vel promissa, libertos filiosve, donec causa cognosceretur, servitute liberarent. \*\*\* Ad hos mores spectat hic Martialis. Etenim libellos suos comparat cum servis

\* *Plin. V. epist. III. & libr. III. epist. 7.*

\*\* *Fili nonnunquam etiam manumitti dicuntur a Jctis; Instit. Quibus modis jus &c. & de fiduciar. tutel.*

\*\*\* *Ita, cum instinctu Appii Virginia Virginis filia in servitutem affereretur a M. Claudio, manus tollebat undique multitudo, & se quisque paratum ad spondendum Icilio ostendebat. Livius libr. III. c. 46. Hac quanquam multo ante facta sunt, tamen ad Martialis tempora accommodari possunt.*

vis manumissis; Recitatorem comparat cum homino injusto, qui manumissos in servitutem redigat; Quintianum denique cum vindice & assertore. Est igitur sententia verborum Ejus haecce: *Quintiane, Poeta tuus meos libellos tanquam suos recitat; tu vero identidem nega eos ab ipso compositos esse, ut pudefiat ineptus ostentator.* Nihil moror verbum *Tuus*, quod mihi perobscurum videtur in his versibus: satis est, si sumam ceterorum verborum intellexisse videar.

§. X. Sed quanquam obscura quædam supersint, tamen id non impedit, quo minus animus expleatur jucundissimæ lectionis voluptate. Quæ quidem tanta fuit in plerisque scriptoribus superiorum temporum, ut Plagium & Plagiatum mallent dicere, \* quam furtum & furēm, tametsi novissent, Ciceronem ita scripsisse, ut ex his verbis apparet: \*\* *Stoici restant. Hi quidem non unam aliquam aut alteram a nobis, sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt, atque ut reliqui fures earum rerum, quas ceperunt, signa commutant: sic illi, ut sententiis nostris pro suis utearentur, nomina tanquam rerum notas mutaverunt.*

§. XI. Et quoniam plures sunt MStorum inventorumque fures, quam plagiarii proprie dicti; sensim ita invaluit novus ille significatus, ut omnes illum hodie in ore habeant.

A 4

§. XII.

\* *Vid. omnino Thomasius de Plagio litterar.*

*Theorem. V. §. 78. seqq.*

\*\* *De Finib. libr. V. fol. 142. edit. Sturm.*

§. XII. Est autem observandum, illum ipsum significatum late admodum patere , nec unius generis res declarare. Sed tamen verba *Plagi* præsertim designatur usus ac professio sententiarum alienarum peculiariū & ignotiorum, quum earum aut inventionem aut artificiosam expolationem, aut utramque simul , nobis mali- tiose tribuimus , vel saltem tribuere videmur. Atque siccirco Plagiarii appellantur ii, qui aliena cogitata peculiaria vel ignotiora pro suis ma- ligne venditant, nec auctorum nomina lubenter & prudenter celebrant.

§. XIII. Hæc uberioris declarare , fortassis operæ pretium erit. *Usum* igitur appello Plagi- um , quia mihi nullum verbum occurrit, quod ad omnia plagiorum genera complectenda meli- us sit & accommodatius. Cum enim quæritur, cur Eusebius, Scioppius aliisque sint Plagiarii, re- cete respondetur, quoniam in scriptis suis utun- tur sententiis virorum eruditorum tanquam suis, nulla corundem facta mentione. Adhæc gene- ralis illa vox *Usum* in verbis subsequentibus com- modissime restringitur ac secernitur a ceteris qui- busunque alienorum librorum & sententiarum usibus. Cum contra illi , qui pro genere alia vocabula ponunt, in complures incurvant diffi- cultates, aut saltem mihi quidem incurvare vide- antur.

§. XIV. Cum dico Plagium esse *usum senten- tiarum alienarum peculiariū* , primum ex- cludo verba aliena peculiaria, quorum usum sine auctoris

auctoris nomine nemo temere ad plagium referat. Veteres tamen cum aliena verba peculiaria usurparent, auctorum nomina s̄epissime adjiebant. Fecerunt hoc Cicero, Plinius, aliique. Etenim in verbi vocisque præclaræ inventione non est fere minor gloria, quam in bonæ sententiæ. Non minor enim plerumque utilitas & elegantia in commodo verbo est, quam in opportuna & eleganti sententia. Quod illi haud dubie viderunt, qui ad linguas augendas poliendasque societatem inierunt. Quales non Europa solum nostra, sed Asia quoque ostentat; id quod Wagenseilius, quem honoris causa nomine, præclare condocefacit.\* Quamobrem qui novis vocabulis utuntur, nec inventorem eorum nominant, ii veterum morem negligunt & aliquid peccant, sed plagiarii fortassis non appellabuntur. Deinde verbo *sententiarum* complector omnia inventa, libros, *integra capita*, singulaque sententias, quæ non auctoris sed alieno nomine publicantur.

§. XV. Quasnam sententias *peculiares* vocem, jam satis clarum est, & ex verbo *ignotorum*, quod addidi, magis elucet. *Peculiares* sunt ei, qui earum auctor est & inventor. *Ignatores* quæ dicantur, facile cognoscent illi, qui e Thomasio didicerint \*\* eas esse quæ longo scholarum usu tritæ non sunt. Ergo huc non pertinent illæ sententiæ, quæ nuper quidem inventæ,

A 5

sed

\* In Geograph. pag. 816.

\*\* de Plag. §. 166, 167. seqq.

sed Ephemeridibus eruditorum paulo copiosius  
dudum sunt explicatae. Per Ephemerides enim,  
quod DEO gratias agimus, fieri solet, ut elegan-  
tissima quæque inventa statim enotescant, & si-  
mul ac nata sunt, ignorari desinant. Omnes  
enim ubivis ad ea cognoscenda & vulganda du-  
cuntur, veluti ea quæ nunciis publicis significan-  
tur. At hæc talia quam celeriter novitatis gra-  
tiam amittunt! Ceterum nihil est, cur diserte  
moneam, me per *sententias peculiares* non quas-  
vis intelligere, etiam divino afflatu cognitas, sed  
naturales solum. Etenim verba ex confuetudi-  
ne vitæ sermonisque Romani interpreter, non ex  
eorum more, qui omnia subtilius differunt &  
acutius, fortasse vere, sed ad communem utilita-  
tem parum. Verum tamen, ne quis diligentiam  
meam desideret, breviter hujus admonitionis ra-  
tionem exponam. Fuisse olim homines, qui ex  
divino afflatu res singulares & admirandas co-  
gnoscerent, & Prophetæ appellarentur, dubita-  
tionem nullam habet. Fuisse homines alios,  
qui res illas ex divino instinctu a Prophetis co-  
gnitas expiscarentur & statim tanquam sibimet  
ipsis divinitus traditas profiterentur, pariter ad-  
dubitatem non habet. Id enim constat ex  
Jeremia, qui Deum ita loquentem inducit: *Ec-  
ce ego ulciscar Prophetas, qui sermonem meum  
alii atii suffurantur.*\* Abarbanel certe qui-  
dem

\* *Jerem. XXIII, 30.*

dem \* & Kimchius \*\* hanc Jeremiæ sententiam esse, constanter &c, ut opinor, recte contendunt. Denique nec illud dubitationem habet, afflatum illum singulis Prophetis, quibus revera obtingebat, ita proprium fuisse, ut gravissime peccarent, qui eum ab illis ad se transferre conarentur. Habet enim opinio Prophetiæ seu afflatus divini tantam præstantiam, ut qui *eam* falso & temere affectet, autoritatem DEI parum vereri videatur. Hos igitur vanos afflatus divini ostentatores an Plagiarios appellare liceat, queritur. Ego id plane nego: alii perseverant. Rationes, inquiunt, probabiles habemus, tum illas ipsas, quæ modo narratæ sunt, tum alias haud paulo meliores. Etenim Cartesiani, non minus ac Peripatetici, Plagiarios appellant eos, qui alienas cogitationes præstantes nullo sibi jure vindicant. At iidem Cartesiani omnem motum ab ipso DEO proficiisci contendunt. Jam vero inventio seu cogitatio rei præclaræ existere non potest sine motu spirituum animalium & tanquam ipsius mentis. Neque divinus afflatus existit sine spirituum animalium & quasi mentis commotione. Ergo inter humanam inventionem & afflatum divinum nihil interest, nisi quod illa res faciliores & naturæ consentaneas tradat, hic præstantiores & sæpe rationem humanam excedentes. Hoc autem discriminem, quod ad causam nostram attinet, valde est exiguum.

\* In commentar. ad b. l.

\*\* D. Kimchi in Commentar. ad b. l.

guum. Sed ego has rationes ad duo capita re-  
vocari posse puto. Igitur pro duabus solum ra-  
tionibus habebimus, quicquid nunc allatum est.  
Ad priorem respondeo primum, usum verborum  
ei repugnare. Quis est enim, qui verborum  
usum corrigat, ut posthac Plagiarios appellemus,  
quos nunc vanos fallosque Prophetas melius no-  
minamus? Deinde verum quidem est, afflatum  
illum singulis Prophetis proprium esse & gravi-  
ter peccare illos, qui eo cupide & falso glorian-  
tur. Sed nec dum video, quomodo ex hujus-  
modi ostentatione & gloriola Plagium conflagri  
possit. Afflatus enim divinus & humana inven-  
tio valde differunt. Quanquam igitur humanæ  
inventionis vanus ostentator Plagiarius appella-  
ti potest, tamen afflatus divini falsus ostentator  
non continuo Plagiarius appellari potest. Sed  
vero, ut ad posteriorem rationem accedam,  
acute tollunt adversarii discrimen illud, quod in-  
ter afflatum divinum & inventionem humanam  
intercedit. Quærunt præsidium in desperata  
Cartesianorum causa. Desperatam merito di-  
co, quod a plurimis explosa est, qui ceteris in  
rebus Cartesianos lubenter tuentur & defendunt,  
Cur autem explosa esset, nisi veritati repugnaret,  
equidem non video. Non est hujus loci, de  
motus causa & ratione disputare: lectitentur il-  
li, qui dudum hanc provinciam occuparunt,  
Barrovv, Grevv, Leibnizius, alii. Et quanquam  
desperata non esset hæc Cartesianorum causa,  
tamen ad eam frustra configueretur. Nam affla-  
tus

tus divinus est factum, & quidem antiquissimum. In judicandis factis, præsertim antiquis, nullus rationi locus est. Critica vero advocanda est. Critica enim docet, quæ verborum & locutionum potestas sit, quæ scriptorum mens & sententia. Si hæc cognita & explorata est, conquiescere debemus & ab omni judicandi fiducia desistere. Ita cum Archimedes ex longissimo intervallo classem Romanorum incendisse, Apothecarius quidam plantas ex cinere resuscitasse, alii alia mirabilia fecisse dicuntur, licet utique videre, an historias talium hominum intelligamus. Si enim intelligimus, cumulate beati sumus, etiamsi nostro ingenio nostraque arte nihil simile efficere queamus. Ergo, ut ad rem propositam revertar, philosophicis ratiunculis hic quoque nihil agitur, nihil proficitur. Criticis pugnandum est, id est, philologicis; Critica enim nobis hic eadem est, quæ philologia. Videntum igitur, an Prophetæ habuerint insigne, quo naturalem cogitationem a divino afflato discernerent. Si hujusmodi insigne habuerunt, assensu nobis opus est; disputatione abstinentiam est, præsertim tam inepta. Nos insigne illud afflatus divini non exponemus. Facit id scriptura sacra, faciunt philologi, \* faciunt Theologi. \*\* Ergo manet id, quod negari non potest,

\* Vid. Abrabanel l.c.

\*\* I. g. Witius Miscell. tom. I. libr. I. c. 35.

est, fures afflatus divini non esse Plagiarios appellandos.

§. XVI. Porro dixi, Plagium committi, si aut inventionem aut inventionis *artificiosam expositiōnē* malitiose sibi sumatis, qui nec inventor est, nec studiosus enarrator. Per artificiosam inventi expositionem non intelligo perfectionem inventorum & scientiarum. Hæc enim ipsa etiam inventio est. Quare si rerum inventionem honestam judicamus & gloriosam: fas est prosector, ut in pari laude versetur expeditio & perfectio ingeniosa. Quanquam enim, ut *vetus verbum* habet, inventis addere facile est: tamen hoc ipsum fieri non potest sine naturæ solertia vel diurna industria. Quamobrem nec inventionis nec perfectionis fama quanquam se defraudari patietur. Germani certe quanquam fortassis inventæ Typographiæ laudem ab Harlemensibus ad se non possunt justè transferre, tamen, quia rationem illius artis commode tractandæ adinvenerunt, nunquam perfectæ typographiæ gloria se orbari sînen. \* Sed per artificiosam expositionem intelligo narrationem elegantem & copiosam, itemque versionem eorum, quæ ab aliis inventa & ignota lingua tradita sunt. Quoniam enim ita plerumque accidit, ut inventores rerum in scriptis suis pientem suam non satis perspicue curateque exprimant, quanquam, ut hoc fieret, lectoribus expedi-

\* *Vid. R. G. Struvii Introduction. ad notit. res litterar. c. V. §. 4, 5, 6, 7. pag. 203. seqq.*

pediat: apertum est profecto, bene de scientiis  
maiceri, qui diligenter tradunt omnia, quæ ad  
novum inventum cognoscendum pertineant.  
Hoc igitur qui faciunt, rem laude dignam per-  
ficiunt. Quam laudem quisquis ab alienare co-  
natur, næ is plagiariis merito annumeratur.  
Ad hoc genus hominum haud dubie illi quoque  
accedunt, qui librorum Anglicorum, Gallicorum,  
Germanicorum, Latinorum, Græcorum versio-  
nes sibi affingunt, quas veris auctoribus vere as-  
signare debebant. Cum enim Interpres, præser-  
tim bonus, linguam utramque, & ex qua vertit  
& in quam vertit, callere debeat, ac præterea rem  
ipsam cognitam habere: sequitur sane, ex in-  
terpretatione quoque tantam doctrinæ famam  
parari posse, quantam vix inventa quædam ad-  
æquent. Non igitur honeste famam aucupatur,  
qui aliena interpretatione & translatione pro sua  
utitur.\*

S. XVII. Supersunt duo verba descriptionis  
nostræ, quæ declaranda sunt copiosius. Neque  
enim, si quæris, omnes Plagiarii sunt, qui aliena  
inventa pro suis tradunt, nisi id *malitiose* fiat &  
astute. Si quis enim joco sibi tribuat alienam  
inventionem, Plagiarius appellari nequit. Si  
quis ad tempus, sine cuiusquam *injuria* & detri-  
mento, inventum sibi affingat, Plagii fœdo no-  
mine dehonestari nequit. Si quis Auctores do-  
ctoresque suos ingenue celebrarit, sed librarius

cos

\* Add. Thomasius meus h. c. §. 146, 147.  
seqq.

eos inertia prætermiserit, Plagii culpat nullam ferre potest. Sed plagiū si esse & dici debeat, conatus pravus, consilium fœdum esse debet. Ubi pravus conatus non apparet, ibi Plagio nullus locus relinquitur. Hæc dubitationem non habent. Verum hæc licet ita sint, tamen non nunquam non satis attenduntur. Etenim malitia & pravus conatus interdum ibi queritur, ubi nec debebat nec poterat. Id quod postea demonstrabitur.

§. XVIII. Denique Plagii culpa nec eos vacare diximus, qui alienam inventionem sententiamve maligne sibi tribuere videntur. Videntur autem ii hoc facere, qui auctores, quos sequuntur, vel minus saepè, vel non satis graviter & nervose, vel locis alienis nominant. Sunt autem loci alieni, in quibus ingenuitas & gratus animus tantum lumen non habet, quantum optimus quisque maxime desiderat. Quo-circumstanciam non est, si Plagii suspicio cadat in eum, qui auctores præcipuo commodissimoque loco tacet. Mirum item non est, si Plagio affinis creditur is, qui alio libro aliena inventa docet, alio inventores doctoresque suos prædicat; nisi forte alter illorum librorum celebrior præstantiorque sit. Est enim haud dubie major ingenuitatis splendor, cum in celebriore libro doctores nostros laudamus, quam cum in libro ignobili adhuc & obscuro. Fecit hoc Clericus, qui Auctorem, quem in Pneumatologia non laudaverat,

in

in Bibliotheca sua celebrat.\* Fortassis veterum quidam idem fecerunt, quos nunc nimis audacter interdum accusamus. Cum autem plerique veterum libri perierint, & quorundam sola fragmenta supersint, paulo clementius eos tractare debemus. Neminem historicum præsertim, unquam pœnituit, modestum & prudentem fuisse.

## CAPUT II. DE VARIIS PLAGII GENERIBUS.

### §. I.

**S**I Plagium bene & simpliciter velis dividere, primum omnium, ut opinor, videndum est, unde aliena inventa proficiisci soleant & conqueriri possint.

§. II. Inventa proficiscuntur ex ingenio tum eruditorum, tum idiotarum; suntque vel humano generi fructuosa, vel infructuosa, jucunda vel injucunda, aut certe non admodum grata. Hinc si qui sunt, qui talia inventa pro suis usurpent, Plagia nascuntur vel *gravia* vel *levia*.

§. III. Conquiri possunt Inventa vel ex convictu & colloquiis, vel ex scriptis. Qui autem rem præclaram ex aliquo viro audivit & ejus inventionem postea sibi tribuit, Plagiarius evadit non minus ac is, qui res præclaras ex scriptis

B ali-

\* Bibliotheg. Univers. Et Historiq. Tom. XXII.

alienis haufas pro suis venditat. Sed hic defunt nomina, quæ Plagiis hisce imponantur.

§. IV. Colloquia illa & scripta vel nota sunt vel ignota. Qui res alienas ex colloquio vel scripto noto vulgat tanquam suas, is profecto criminationes incurret. Qui ex ignoto colloquio vel scripto res admirandas & novas vulgat, non accusari vituperarique potest. Atque ita existit *Plagium manifestum & occultum*.

§. V. Sed colloquia nunc a sermone removeamus, ut, quæ de scriptis dicere habemus, tanto facilius expediamus. Quæ de scriptis dicentur, ad colloquia fere poterunt accommodari.

§. VI. Scripta vel publice sunt edita vel nondum edita, quæ nos hic Manuscripta nominabimus. Ultraque vel vetusta sunt vel recentiora. Qui ignota scriptorum veterum inventa sibi sumit, *Plagiarius veterum* appellabitur; qui recentiorum ignotos thesauros expilat, *recentiorum Plagiarius* erit.

§. VII. Porro vel apud exteròs sunt Manuscripta illa illique libri editi, vel in loco propinquiore. Plagiarius qui exteròs expilat, *Plagiarius gentis alienæ*; qui aliter facit, *Plagiarius gentis sue* nominabitur.

§. VIII. Manuscripta & libros vel tota in se transferre conatur Plagiarius, vel quandam eorum partem. Ita emergit *Plagium totale*, ut Thomasius ait, & *partiale*.<sup>\*</sup> Hic etiam *Partem ex*

\* *Theorem. IX.*

ex consuetudine vitæ sermonisq; latini interpretor. Intelligo igitur verbo partis rem, quæ certam formam & coherentiam habet cum illa re, ad quam constituendam complendamque pertinet. Sicuti pedem solemus appellare partem humani corporis, quia per formam illam, quam habet, aptus est ut cum reliquo corpore humano cohæreat & id absolvat ac perficiat. Hanc verbi significationem si teneamus, non est periculum, ne totale & partiale Plagium cum magno & parvo confundamus. Qua de re deinceps dicitur.

§. IX. Scilicet cum ex MSto vel libro edito paucas sententias peculiares arrogat Plagiarius, *parvum* existit *Plagium*: cum plures, *magnum*.

§. X. Si ubique auctoris verba retineat Plagiarius, *crassum* emergit *plagium*: Sin alienas res verbis suis exponat, *subtile*. Malim commodiora vocabula, sed nec Thomasio, quem auctorem vehementer sequor, meliora occurrent. \* Imo vero habet vir doctissimus meliora: \*\* ea igitur teneamus, ita ut Plagia superioris generis *vestita* vel *togata*, posterioris *denudata* nominemus. *Togata*, tum quia tam bene noscitantur, quam olim ex toga Romanus civis, ubicunque versabatur, tum quia togam quasi nondum exuerunt. *Denudata*, quia ueste sua quasi spoliata sunt. Verba enim sunt tanquam

B 2

vestis

\* §. 272. seqq.

\*\* §. 114. seqq.

vestis aliqua cogitationum , quas consequantur Plagiarii.

§. XI. Supersunt aliæ divisiones bene multæ, sed quas hic non possumus enarrare, nisi breviter. Sunt enim plagia metus, sunt plagia invidiæ, sunt pigritiæ plagia; ad summam, ne me longum esse oporteat, nulla voluntatis, nulla intellectus labes est, quæ novum plagii genus non foveat vel procreet. Sed cum nondum demonstraverimus, quemadmodum plagia ex intellectu & voluntate , velut fontibus, promanent: non licet nobis hic diu commorari , ut tanto citius ad eos fontes perveniamus. Interim locus attingendus fuit , ne res cum primis necessariæ prætermittere videremur.

§. XII. Ceterum cum, ut dixi , alio properemus, paulisper tamen ad divisiones respicendum est superiores. De iis enim illud dicere habemus, nihil esse , quod vereamur , ne infructuosæ sint & supervacaneæ. Pettinent enim omnes vel ad augendam plagii vitiositatem , vel ad Plagiarios convincendos vel ad excusandos quodammodo. Quod ex sermonis progressu perspicuum erit. Utilia maxime appetimus. Non igitur nec veteres divisiones repetendas censuisssem, nec novas adjecissem, nisi aliquem earum fructum sperarem. Sin, quod nolim, fructus nullus consequetur , non erit fortassis spes utilitatis innocua vituperanda. Nos certe quidem in ponderanda plagiorum turpitudine usum ostendemus, fructumque percipiemus.

## CAPUT III.

DE ORIGINE PLAGII EX PER-  
VERSITATE HUMANÆ VOLUN-  
TATIS.

## §. I.

**H**abet humanum genus a DEO Optimo Maximo & membra perfectissima, & facultates animæ præstantissimas: hisce naturam ordinemque rerum contemplari & optima quæque velle, illis cogitata perficere potest. Et quia potest, procul dubio etiam debet. Debet autem eo ordine & modo, qui veræ sapientiæ convenientissimus est. Est autem convenientissimus ille, qui primo voluntatis humanæ perversitati medetur, ut deinde singula cuiusvis rei momenta ab intellectu circumspecto ponderari, & optima quæque consilia impigre explicari ac perfici queant. Semper enim actio cum contemplatione debet esse conjunctissima, hæc enim sine ille salubris & frugifera non est: at quæ frugifera non sunt, ea nobis carissima & antiquissima esse non debent.\*

§. II. Illi igitur, qui ordinem istum, quem

B 3

dixi,

\* Strabo Geographi. libr. I. pag. II. οὐ γὰρ, inquit, τὸ τῶν (μαθημάτων) τὸ χρησιμὸν αἱ̑ς μᾶλλον ληπτέον οὐκ τὸ πιστότερον.

Add. Plato de Republ. libr. IV. pag. m. 454.

Lactant. III. Instit. divin. c. XI. n. 2. pag.

dixi, tenent atque actionem cum contemplatione conjungunt, merito sapientes appellantur. Sapientia enim non est ostentatio acuminis & scientiae, sed vivâ bonarum rerum cognitio & usus. Sunt autem res bona potissimum illæ, quæ DEI naturam cultumque continent, vitam nostram conservant, affectus consolant, communem omnium pacem & tranquillitatem amplificant & confirmant.

§. III. Verum inter philosophos, qui usque ab ultimis temporibus ad hanc ætatem nostram floruerunt, pauci sunt utique, qui veræ illius & germanæ sapientiæ solidam & expressam effigiem tenuerunt, plerique umbra solum & imagine sapientiæ usi sunt. Est enim voluntas humana sui ipsius quasi lena quædam & blanda conciliatrix, quæ pravas & inanes cupiditates non restinguat, sed incendit & exsuscitat. Hinc in rebus vanis considerandis olim desudatur, de moribus & vita parum laboratur. Quisque officio suo se satisfacere putat, si libros doctos lexit & admiretur, etiam si de sapientia ipso vitæ instituto exprimenda solicitus non sit. Plerique saltem consensum concentumque vitæ ac scientiæ præ concentu scientiæ præceptorumque inter se contemnunt & despiciunt. \*

#### §. IV.

\* Vid. *Quintilianus Inst. Orator. in proœmio*, ubi de hac eadem re graviter disputat. *De Græcis Philosophis vid. Vitringa Qbs. Sacr. libr. III. c. XII. & Gellii Noctes Attic. libr.*

§. IV. Quanto autem illustrior meliorque est ille præceptorum & doctrinarum concentus, tanto magis Auctor illius in oculis eruditorum plerorumque fertur tantoque majoribus laudibus in cœlum extollitur.

§. V. Nonnulli tamen laudibus istis obtrentant & æmulantur. Iccirco etiam scribunt, sed cum ex ingenio suo nihil boni promere possint, alienos libros exscribunt: ast ne exscriptissime videantur, sedulo cauent. Famam enīa constantur, quam se assēcuturos esse diffidunt, si alieno adjumento usi esse videantur. Privatim quidem sine dubio probant illud Antonini: μὴ αἰσχύνετος βοηθείαν, ne te alieni pudeat auxiliū, \* sed publice id profiterit turpe censem. Quin etiam tanto lubentius & confidentius aliena volumina exscribunt, quanto facilius est expilare, quam legitime parare. Experiundo discunt, quam operosa res sit veritati convenienter cogitare, ideas apte componere, nihil temere, nihil incongrue dicere. Experiundo discunt, quam sit retractatio tediumsa, sine qua tamen nihil scribitur, quod albo calculo dignentur eruditii.

§. VI. Neque vero eam solum ob causam, ut famam consequantur, aliena inventa sibi su-

B, 4 munt

X. cap. 22. De Sinensibus videatur Theophilus Spizelius in Commentario de re litteraria Sinensium sc̄t. XII. pag. 235, 236.

\* libr. VII. ὡρισμένος §. 5. pag. 171. edit. Caſaubon. adde Celsum de Medicina libr. II. cap. XIV. edit. Almelov.

Google

munt complures, sed etiam ut famam vel legitime vel in honeste partam tueantur & amplificant, Verentur scilicet, ne amittant existimationem, quam sibi dudum pepererunt, nisi ad alienas inventiones identidem cuniculos agant. Quod quidem vitium saepè non est superbi & arrogantis animi, sed ab adulatoribus male credulis excoecati. Quocirca qui assentatoribus & adulatoribus aures patefaciunt, ad expilandos aliorum libros facile aggrediuntur. Cum enim vident, esse quosdam, qui ipsis laudem novarum inventionum lubenter debeant & adsignent, facile adducuntur, ut inventiones aliunde furtim sibi conquirant, ne adulatores credulitatis dulcedine priventur.

§. VII. Alii indignatione perpelluntur ad eos reticendos, quorum inventis utuntur. Cum enim vident, se in libris gratis & communiter probatis non nominari, quanquam id commode fieri potuerit aut fortassis etiam debuerit, quovis modo istud famæ detrimentum ulciscuntur. Celant igitur, quoad possunt, ejus generis libros, nec eorum præstantiam & merita in scriptis suis prædicant. Quod quidem tam fidenter & impune se facere posse putant, ut sinistra eruditorum judicia plene non morentur. Quod enim aliis in ipsos licuit, id sibi in eisdem lice re putant. Igitur imitantur eos, qui cum sua poma a vicino sibi detracta & communibus amicis divisa esse audiunt, omni se culpa vacare credunt, cum iisdem amicis in hortum suum venient.

entibus tum sua, tum eidem vicino detracta pomā largiantur.

§. VIII. Sunt alii scriptores, qui se beatissimos judicant, cum praeclaris, licet alienis, sententiis librum suum exornarunt. Sed ne lectores illi, quibus potissimum scripferunt, in ejusdem felicitatis societatem plene & statim veniant, auctores istarum sententiarum studiose occultant. Invidia igitur hisce suadet idem vitium, quod aliis tuendæ augendæque existimatio- nis cupiditas, vel periculi & calumniarum metus, de quo deinceps dicemus.

§. IX. Cum invidiosa saepe ac periculosa sit approbatio scriptoris, qui occultam veritatem inquisivit, quaesitam invenit, inventam professus est, id agunt nonnulli, ut odiosi auctoris inventa quidem usurpent, sed nomen dissimulent, ne in odii ac calumniarum societatem veniant. Cum enim sciant, veritatem omnem satis per se commendabilem esse & invictam stare \*, nisi odioso novatoris & novitatis nomine inusta & quasi supplantata cadat: officio se suo satisfecisse putant, cum, inventore spreto, ipsam veritatem diligent & commendent. Quocirca nihil causæ putant esse, ut in scriptis suis Reuchlinos, Galilæos, Harvæos, Cartesios, Borellios, Pufendorfios collaudent, quamvis eorum bona & vera præcepta publico assensu digna censeant. Scilicet Ren-

B 5

rios

\* Add. Stobæum Serm. V. p. m. 73. & 136.

edit. Tigur. A. 1559. Sed res ipsa loquitur,  
testimonius non est opus.

rios beatos judicant, Regios infortunatos, quod corum similima studia dissimilimus eventus est consecutus. Alteros enim, etiam mortuos, propter modestiam summum desiderium, memoria & honos prosecutus est cruditorum : alteros propter vehementiam tanquam sacrilegos & religionum corruptores Voëtii divexarunt , quamvis nihil docerent, nisi, quod nunc divinum ac salutare præceptum est , sanguinem per arterias & venas in orbem ire.\* Sed tamen qui erga inventores rerum ita sunt affecti & animati, culpa non vacant, quamvis eam temporum morumque ratio saepe aut tollat, aut certe imminuat. Si Sarpius sis, neque tamen aperte quamvis veritatem & veritatis defensores propugnes, vereor ut te viris bonis & fortibus purgare possis. Plus DEO & honestatis conscientiae tribuendum est, quam affectibus & imbecillitati humanæ naturæ.

§. X. Multi, qui scripti cujusdam forte inventi auctorem ignorant, pigritia deterrentur, ne auctorem illum curiose pervestant, antequam ejus libro nomen suum præfigant. Eadē negligētia saepe causa est, quamobrem aliqui non prædicent auctorem , cuius nomen perspectum habent. Nempe sunt quidam tanta socordia, ut auctorum honestam commemorationem parum eurent, quamvis eorum inventa suos in libros transtulerint. Nomen adscribere gravantur, inventa exscribere non gravantur. Scilicet ita sunt homines quidam , beneficia nulla satis magna

\* Vid. Bailletus in Vita Cartesii.

magna sunt ad accipiendum, sed parva nimis ad gratias agendas. Semper utilitates ex aliorum labore capere, jucundum est: semel gratum animal vel paucis verbis testari, id demum ingratum est & molestum.

§. XI. Ex diffidentia quoque nasci solet plagiū, non minus, quam ex contemptu & pigritia. Quidam cum reciverunt experimentum, quod ad usum revocare non possunt; cum insaudierunt ratiocinationem, quam non omnino intelligunt; temperare sibi non valent, quin, ubi se occasio dat, dissimulato auctore, experimentum illud aut ratiocinationem proponant. Famam ex iis nullam expectant, quod imbecillitatis suæ conscientia omnem famæ spem, in ipsa quasi herba, suppressimat. Diffidendi vero causam eam habent, quod memoria teneant, multas res audientibus miraculo fuisse, quæ ore pleniore narrantibus ruborem attulerunt. Nolo hic lapidem illum Bononiensem commemorare, qui, ut constat, narratori pudorem expressit; cum haud dubie ignis esset, quicquid de isto lapide dicebatur: tota Philosophi Stagiritæ commentatio de animalibus plena est lepidorum hominum conamentis. Ergo his talibus qui assentire noslunt, partim arrogantia id faciunt, partim animi quodam torpore. Quemadmodum enim easdem delicias alii propter ignobilem ortum, alii propter ingens pretium contemnunt, quamvis utrique earum amore claneulum flagrent: ita idem experimentum vel ratiocinium aliis

propter famam tanquam suum venditat , alius propter ingenii sui imbecillitatem & alienæ fraudis & jaestantiæ suspicionem , dissimulato auctore, simpliciter & dubitanter proponit.

§. XII. Infinita cupiditatum varietas est : hinc plagium aliud ex alio fonte promanat. Quidam ita ad assentationem facti sunt a natura, ut spe præmii vel favoris nihil habeant jucundius, nihil antiquius, nihil melius. Quocirca cum Patronum naœti sunt improbe tristem & austерum ; quiçquid illi stomachum movet, curiose declinant & aspernantur. Quodsi igitur fiat, ut in rem pulchram & splendidam incident, qua scriptum suum præclare possint ornare, tum statim, an Patrono etiam grata sit futura, dispiciunt. Si videant ingratam futuram, neque tamen omittendam esse , ne scripto gratia quædam & amœnitas detrahatur ; auctoris inventorisque nomen tollendum existimant. Ita enim suspicantur fore , ut Patronum sibi retineant atque præmium etiam adipiscantur. Malunt igitur Patroni genio vafre deservire, quam veritati officium constanter & ingenue præstare.

§. XIII. Atque hi sunt affectus illi, ex quibus Plagium fere solet exoriri. Qui plagiiorum historiam scribunt, si ad has causas attendant, maiorem voluptatem percipient , quam eas si contemnant ac prætermittant. Lectoribus etiam suis rem gratam facient, cum liumanorum ingeniorum varietatem , etiam in plagiis , cognoverint. Quanquam vero nos etiam ipsa scientiarum , in qui-

quibus Plagiarii versantur, jucundissima varietas magna voluptate perfundat: tamen potissima voluptas ex ipsa præmiorum, quæ Plagiarii consequuntur, & periculorum, quæ aversantur, varietate existit. Quem enim nostrum pervicax ille Cardanus non cum quadam miseratione delectat? qui cum Christi Servatoris thema natalitium (ut Astrologi dicunt) proposuisset, cruciatus & miseras maluit perferre, quam confessione Plagii & nominatione illorum, quos imitabatur, devitare.\* Si præmium, quod ante oculos fortassis habuit, (neque enim quicquam fiderter assevero) scire velis, præter inanem & calamitosam sapientiae glo-riolam nihil reperies. Quid enim Astrologia vanius? quid ineptius? At hominem eo vesania procedere, ut pro insania nec miseras recuset; id cui non est admirabilitati, nescio quid tandem insolens & mirabile videatur. Sed nos telam nostram pertexemus.

## CAPUT IV. DE ORTU PLAGII AB INTELLECTU.

### §. I.

**V**ereor, ne sint Scriptores nonnulli, qui doctores suos non ob affectuum vehementiam, ut illi quos modo notavimus, sed propterrea

\* Vid. Baile Dictionair. Critiq. sub voce Cardanus.

pterea taceant, quod & honestatem & utilitatem nominationis Auctorum ignorent. Nihil enim causæ est, cur hic infœcundam & effœtam putemus ignorantiam, cum ceteris in rebus felix multorum peccatorum parens sit. Neque enim nominationis illius honestas & utilitas tam est perspicua, ut clarissimis Mathematicorum postulatis æquiparari possit. At quæ tam manifesta non sunt, ea fere nonnullis ignota solent esse, iis præsertim, quibus præter voluntatem & cogitationem accidit, ut Scriptorum numerum augeant, cum ætatem suam nec in libris lectitandis nec viris doctis audiendis consumserint.

§. II. Nempe fieri solet nonnunquam, ut ingenia ex ipsis opificum officinis efflorescant. Cum enim vel in longinquis itineribus multa vulgo incognita viderint & in pugillares suos congeserint, vel repente ac tanquam virgula divina in rem inauditam inciderint: tum sœpe fit, ut ad observationes suas edendas animum applicent vel sua sponte vel aliorum hortatu. Ita Alexander Oliverius Oexmelinius, qui Chirurgus erat, memorie prodiit, quæ in America viderat. Ita Drebbelius rusticus & thermometrorum inventor, ita Zacharias Jansenius civis Middelburgensis & tuborum auctor, ita Marinus civis Laxoviensis & bombardæ Pneumaticæ inventor, ita Hautschius machinæ Hautschianæ parens inventa sua litteris mandare potuerant, non minus, quam Joannes Grauntius civis Londinensis in tabulas Mortuorum observationes suas, & Rem-

branzius rusticus sutor res mathematicas. Annon vero, si hoc faciant, accidere potest, ut alienas etiam observationes admisceant? Annon igitur tum plagiariis annumerari possint, quod animalium sui complicatam notionem non evolverint, ut viderent, an facti illius ratio sibi omnino constaret. Nemo certe negare potest, haec aliquando contingere posse. At quae contingere possunt, haud dubie aut olim contingent aut dudum contigerunt. Si Olearius itineris Persici auctor, ut Murrhius constanter affirmavit\*, non ex suis pugillaribus, sed ex Murthii commentariis librum suum composuit, credibile est profecto, idiotas etiam ex alienis commentariis nomen sibi parare posse & aliquando solere.

§. III. Sed quanquam haec opinabilia tantum videantur, tamen nec alii modi desunt, quibus fieri possit, ut in quorundam scriptis, ex inscita, doctorum auctorumque nulla fiat mentio. Mihi homo quidam notus est, qui cum librum manuscriptum forte nactus esset, statim eum pro suo edendum curabat. Sed hoc ei parum erat, nisi flagitium flagitio cumularet. Quamobrem cum auctores, qui in margine positi erant, propter scripturæ obscuritatem divinare non posset, eos plane omittendos statuebat. Ita Plagii crimen etiam cum auctore suo communicabat.

## §. IV.

\* *Hoc ego a viro fide dignissimo accepi, qui a Murrhio ipso audierat Riga. De re ipsa viderint eruditissimi. Nostrum hic non est litem decidere.*

§. IV. Si quis existimet, hæc non solum in alienis manuscriptis contingere posse, sed etiam in propriis, nihil magnopere repugnabo. Etenim si quis scriptor iub finem vitæ librum edat, quem adolescens composuit, fieri potest, ut auctores, unde præcipua sumta sunt, non recordetur, atque ita Plagii periculum adeat. Exemplum in promptu est, sed alibi commemorandum.

§. V. Imitatio etiam, quæ cum ignoratione juris & æquitatis conjuncta est, multos ad inventorum nomina reticenda illectat ante, quam officii rationem inierint. Quidam enim cum vident, esse quosdam eruditos qui sibi ipsis multa tribuant nec temere quenquam doctorem agnoscant, continuo viam sibi communitam esse credunt, quam tuto insistant. Quæ alii, præsertim viri docti & communiter probati, licenter & impune fecerunt, ea sibi honesta & gloria arbitrantur. Sed vero qui sic animati sunt, paulo quidem excusatius peccant, quam ertoris istius auctores & principes; sed leges, quas philosophia imitatoribus præscribit, omnem culpam ab iis non removent.

§. VI. In scriptoribus iis, qui obscuram notationem habent officii, quod in nominandis doctorebus suis usurpare deet, oritur dubitatio. Quæ & ipsa nonnunquam causa est, ut auctores non ita, ut par est, ubique commemorentur. Quemadmodum enim in vita communi leges pleraque ab iis præsertim violantur, qui eas bene & sapienter interpretari non possunt: ita in re literari:

teraria leges injucundas facile conculcant & negligunt , qui non satis docti sunt & eruditii. Qua ex re fit , ut animi saepe ad peccandum inclinentur ante , quam officii ratio pervaestigata sit & inventa. Ut enim libra facile impellitur in eam partem, quam malitia deprimit : sic animus scriptoris, cum in deliberando fluctuatur, facile tandem ad eam partem adhaerescit, ad quam spes impunitatis vel etiam præmii sece aggregat. Sane cum ii, qui de officio nihil habent dubitare, ad peccandum tamen perpellantur ; quid illos facturos arbitramur , quibus prava libido rationes quasdam suppeditat ? Si præsertim hi ita comparati sint , ut argumenta non ponderare, sed numerare solum queant , aut rationum numerum parum attendant. Hi tales, non dubito, quin ita secum ratiocinentur: Evidem gratia animi est, aperte profiteri, per quem proficeris, sed fortassis ea, quæ nunc doceo, vulgaris sunt & omnibus passeribus nota. Galli certe scriptis suis aliena nomina non interponunt temere , cur igitur ego morem tam acutæ gentis adsperner ? Est scriptor ille , quem ego sequor, in magna auctoritate , cuius omnia dicta velut oracula excipiuntur & studiose vulgantur : ergo nihil est, quod hujusmodi sententiis nomen auctoris apponam. Et quanquam non satis exploratae omnibus & perspectæ sint illius auctoris sententiae, tamen nihil forte novi excogitari potest ac doceri. Veteres enim dudum omnia præcepserunt, nos vetera tantum repetimus. Quid est

est igitur, quod in nominandis rerum vetustissimarum incertis auctoribus tempus teram? Richerius multis ludibrium debet, quod studiorum rationem traditurus, Deum nescio quem obtinetatur, ut sibi veterum sententiis libere & sine opprobrio uti liceat. Quibus quidem & abstinerere sine lectorum detrimento, & uti sine flagitio poterat, quamvis ab illo DEO veniam non postulasset; cum nihil admirandum & magnifica laude dignum afferat. Quocirca ne ego quoque similem ob causam deridear, auctotum reticentia cavebo. Sarpius noluit libros ita scribi, ut ad alios scriptores lector esset allegandus. Ergo tanti viri auctoritatemi sequar, & hoc mihi negotii datum esse putabo, ut omnia, quae ad institutum meum pertineant, accurate explicem nec ullos temere scriptores commendem. Quod si vero collectanea mea velim exhaucire, & quæunque possunt, cumulare; haud dubie rem faciam cum supervacaneam & multis gravem, (quis enim lectitat & inquirit locos citatos?) tum mihi permolestam; quod universa scriptorum loca denuo sint querenda & diligenter annotanda, ne lectores curiosos frustrari videar. Atque, si maxime auctorum sententias cunctas, tamen mihi parum consulam. Etenim ita lectores politulos a legendu deterrebo. Hi enim semper suspicantur, judicii vim cum mala lectione non esse conjunctam. At judicio plus tribuendum, quam multæ lectionis famæ. Habetane igitur sententiarum citandarum delatum?

etum? Utique, nisi fallor. Sed tum limatulis lectoribus me non tam probaverim, quam infinitæ lectionis fautores offenderim. His enim nihil probatur, præterquam ea quæ consensu sexcentorum auctorum confirmantur. Quid igitur faciam? testem & auctorem appellabo neminem. Ita simul fiet, ut omnem litigandi materiam ad vivum resecem. Semper enim ii, qui summum bonum in litibus ponunt, aliter interpretantur auctores, ac interpretandi sunt. Neque fortassis duos invenias, qui in auctoriis interpretandis consentiant, quod ex præjudicatis opinionebus quisque alterius mentem & verba judicet. Adhuc quos deinceps testes appellem, quos auctores mihi nominem? Gallosne an Anglos, an Germanos, an Italos, an Getam quendam & Sarmatam? Hic ego vero in quendam quasi labyrinthus incidam, unde me expedire minquam possim. Jam sentio profecto, quantæ scriptorum difficultates circumstent in alienis libris citandis! Gallorum enim superbia & in quosvis peregrinos contumelia quam est invisa & odiosa! Igitur si a Gallis quicquam didicisse videar, multorum offendam & vituperia declinare non potero, quamvis nonnulli ob eam ipsam causam me sint collaudatur. Ultram igitur harum partium sequi debeat, difficile est intellectui. Anglorum ingenia quisque non stoltissimus merito admiratur, sed cum eorum lingua, qua pene sola utuntur, nondum sat multos cultores amatores que invenerit, patrum mihi sapere videar, si ad

ignotos & barbaros libros amandem lectores meos. Ne nunc gentis illius libertatem memorem, quæ multis, inepte fortassis & improbe, sed tamen suspecta est. Germani quanquam & industria & scribendi elegantia & judicio ceteras gentes adæquent, tamen si audaculos quosdam judices audias, in eruditorum choro vix habent, ubi pedem ponant. Cur igitur sententias eorum mihi fautrices advocem, quæ contemtionis forent effectrices. Italia olim, uno quasi in angulo, quam magnos quantaque industriæ conspiratione consentientes habuit eruditorum greges! Sed nunc cum Itali contra fulmen Inquisitionis sacræ timidores sint, ex infinita multitudine ita contracta res est & adducta in angustum, ut vix paucissimos numerare possis. Quare si Italos laudare auctores velim, forsitan non minus irridear, quam si ex ergastulo ingenuum & liberalem hominem produci posse existimem. Ex Sarmatia nihil præclari, nihil novi expectant eruditi. Ad Turcas vero si provocem, fortassis barbariem & ineptias architectari videar. Ista gens enim in veritate pervestiganda tuendaque plane nihil, nedum generosum quicquam & præclarum sapere putatur, quamvis revera apud Turcas viri docti & politissimæ artes floreant. Quod quidem cum aliunde constet, tum ex quoque intelligitur, quod illi octo millia falsatum in Corano, quem vocant, non inviti concedant. At qui in dignoscendis judicandisque rebus hactenus profecerunt, ut adeo Muham-

medium ipsum, cui plurimum tribuunt, errasse profiteantur, næ ii veritatem amant & opinio-nes vendibiliores & se ñæ suæ honestiores asper-nari videntur. Quod sapientum utique propri-um est. Arabes ne nominem, interdicit Male-branchius, qui eos ostentationis causa ab iis af-ferri clamat, qui nunquam Arabem pictum, ut dicitur. viderunt. Quanto magis igitur omni-um convicio urgear, si ex China Confucium ar-cessam? Qui quidem cum antiquis auctoribus annumerari queat, vel ob eam causam religioso tegendus est silentio, ne Perraltii contra me ex-surgent. Hi enim veteribus recentiores ante-ponunt etiam, non solum opponunt. Sin re-centiores observem & colam, veterum contem-tor aliis videbor. Ergo forsitan modo hos, mo-do illos collaudem? sed tum non satis mihi con-stare videbor. Cum enim verissimum sit illud Plinii: Stultum est ad imitandum non optima quæque proponere; & tamen haud dubie aut recentiores aut veteres potiores judicari debe-ant, certe quoquo me verterim, offendam: cum nondum aut veterum aut recentiorum scripto-rum merita satis explorata habeamus & perspecta. Hanc igitur Charybdin non potero effuge-re rectius, quam si nervos ingenii mei intendam ipse veteresque & recentiores juxta habeam. Tempus illud, quod lectione alienorum scripto-rum consumendum est ei, qui multos scriptores laudare gemit, ego meditationi impendam. Ita fieri, ut mihi tribuere possim ea, quæ lectores illi,

tanquam servi anagnosatæ, alijs accepta ferre con-  
guntur. Verum ne sic quidem satis explicò  
consilium, An enim ignoto, esse quosdam qui  
mirificis laudibus apes ornent, quod ex variis  
multisque floribus mel conquerant, araneas con-  
tra insectentur, quod ex se filia ignobilia & vilia  
exprimant. Forsitan igitur desistam ab insti-  
tuta? Non certe. Vetus enim verbum est, si-  
militudines claudicare. Potior mihi ille pater-  
familias est, qui vitam simpliciter & honeste de-  
git, quam qui Americanorum & Indorum vasa  
convèhit, quæ incepte vendit & ostentet. Lu-  
benter ad eorum me aggrego judicium, qui no-  
vis philosophiæ doctoribus non scilicet libros  
apertos proponunt, & ut ab iis sapientiam por-  
ro petant, cohortantur; sed etiam libros istos  
claudunt, & ut a se ipsis etiam discant, severè  
monent. Sed si alias mediter, alias lectitem,  
paucos potero lectitare. Ita fiet, ut vel Gallos  
tantum vel Anglos, vel Batavos auctores nomi-  
nare possim. Tum vero vel Gallis, vel Anglis,  
vel Batavis adulati videbor, licet eos partim tan-  
tum legerim & laude dignos putem. Sed du-  
bitandi finem non repatio. Illud igitur unum  
dico: Non liquet.

§. VII. Ita, nisi fallor, secum ratiocinantur  
scriptores quidam, qui officii sui & veritatis non  
sunt satis boni existimatores. Et sanc quosdam  
earum rationum mihi quidem non prorsus con-  
temnendæ videntur; neque fortassis ex malo  
animo semper proficiuntur. Non dubito ve-  
ro,

to, quin omnis illa dubitatio tolleretur, si liber extaret, qua de scriptorum officio in prædicandis citandisque auctoribus differeretur. Adhuc enim, quod equidem sciām, nemo fuit, qui ea de te copiose accurateque disputaret. Id quod eō magis miror, quod, sine officii illius notitia, furti litterarii natura non satis intelligitur, multo minus vituperatio ejus curatioque recte suscipitur. Quemadmodum enim furti ac calumniæ turpitudo non noscitatur, nisi dominium rerum & usus sermonis plene cognoscatur: ita in furto litterario judicando facile offendas, si officium, quod in prædicandis doctoribus suis usurpare debent scriptores, exploratum non habeas. Quamobrem uti Medici Lommios Wedeliosque magnis laudibus ornant, quod in declarandis morborum rationibus præclare versati sunt: ita nos semper Thomasium suspicimus, quod ad furti litterarii rationem explicandam magnam eruditionem & curam attulit. Sed tamen si quis vir doctus officium scriptorum in auctoribus prædicandis curiose demonstraret, rem sibi honestissimam, omnibus jueundissimam utilissimamque profecto faceret.

§. VIII. Casum pene præteriisse, qui & ipse ad Plagii famam & suspicionem aliquod saepe momentum affert. Sed quoniam de illa Plagii origine disputamus, cuius culpa in auctores conferri potest, nihil magnopere peccassimus, si casum prætermissemus. Dantur tamen casus, qui prævideri possunt & præcaveri. Sed cum

non præcaventur, tum vel imprudentia, vel pigritia similesve res in culpa sunt. Quamobrem casus hic pro nova & quibusdam plagiis proprias causa non habetur. Id quod contra Peripateticos monendum fuit, quorum magister fortunam & casum in rerum naturalium causis numerat, \* & proinde multo potiori jure in rerum moralium.

## CAPUT. V.

### DE ORTU PLAGII EX VITIOSÆ VOLUNTATIS ET INTELLECTUS CONJUNCTIONE.

#### §. I.

**Q**ui facinorum vitiorumque humanorum causas querunt, identidem reperiunt, ad idem facinus vitiumve plura saepe invitamenta & causas concurrere. Modo voluptas & honos, modo pecunia & honos, modo alias cupiditates ad facinus aliquod invitant & illectant. Idem saepe in Plagio contingit. Videas enim, alias diffidentiam & arrogantiam, alias arrogantiā & invidiam, nonnunquam imitationem & pigritiam, aliosque affectus & dubitationes aliter conjungi.

§. II. Si quis auctor inventa sua ita descriperit, ut nulla magnopere causa appareat, cur ejus diligentia & judicio confidamus, Plagio se vix abstinebunt quidam ejus lectores. Cum enim dubitant, an experimentum accurate & crebro factum sit, an res curiose ponderata & fideli-

\* libr. II. Physic. t. IV. & V.

fideliter explorata sit; tum makunt nonnulli experimentum aliave cogitata tanquam conjecturas suas tradere, ut credulitatis suspicionem decinent, quam alienam sordidam sequi.

§. III. Ut intelligatur, quid ad idem plagium efficere possit imitatio, metus & arrogantia, ex Simonio producam exemplum memorabile & ad famam auctoris sordidum. Simonii verba, ut ea nos quidem interpretamur, sunt illa\*: Bibliorum versionibus, quas a Protestantibus, habemus, illam cui nomen Renati Benedicti doctoris Parisiensis præfixum est, annumerare nullus dubito. Versionis istius historia omnino, est lepida. Doctor ille cum vidisset, Logicæ, Aristotelicæ novam quandam versionem magnis factam esse, quamvis interpres linguam Græcam nesciret, statuit versionem Gallicam Bibliorum de Hebraico Græcoque sermone expressam, edere; quamquam, ut ipse fatetur, nec Hebrei, nec nec Græce sciret. Hoc consilium ut facilis, perficeret, translationis gallieæ Genevensis, verba quedam solummodo oblevit, & alia, quæ, idem valerent, adscripsit. Sed importunitate Typographorum accidit, ut illa ipsa folia sic, uti, diximus, correcta non fidelissime exscriberentur. Quæ causa erat, cur Theologi Parisenes, cum verbum Coenæ & alia consumilia Genevae nata ibi reperissent, novam illam bibliorum editionem aperte condamnarent, tametsi,

C 5

colle-

\* *Histoir. Critiq. du V. Testam. libr. II. Chapit. 25. pag. 354*

, collegæ nomen gereret. Postmodum Benedictus ille ingenue fassus est lepidam rationem, „qua factum esset, ut translatio illa ipsius nomen sortiretur. Si paulo fuisset solertior, haud dubie idoneus Scripturæ Sacrae interpres habitus esset, non minus ac complures alii, qui cum doctorem illum linguarum sacrarum peritia non superare oportet, tamen magna in laude versati sunt. Hactenus Simonius.

S. IV. Nullum Plagium tam ridiculum est & ineptum, quam illud, quod ex pigritia & arrogantia nascitur. Quo magis enim arrogantia se effert & ostentat, eo minus latere potest ejus turpitudo. Quod uno exemplo facile comprobabimus. Suppeditat istud idem Simonius, qui modo Benedictum notaverat. Vavassor, inquit, in praefatione Commentarii sui nequam asseverat, se cognitioni Scripturæ Sacrae quadraginta annos omnino impendisse. Nunquam id lectoriibus suis persuadebit. Iis enim statim ocurrant errores graves & tam eruditio homine indigni. Etenim cum primum Jobi librum partitur, Mosen doctorem Judaicum & Mosen filium Mæmonis itidem Judaicum doctorem distinguit, quasi duo scriptores essent. Liber qui *Dæbor Perplexorum* appellatur, si Vavassorem audias, non est idem ille, qui *Moses Nebocim* inscribitur. Moses, ut Vavassor vult, Jobi librum historiam esse contendit, sed Moses

Mæ-

\* Epistr. XXIV. pag. 178. Verba gallica latine persa exhibemus, brevitatis causa.

Mæmonis filius librum Jobi pro fabula habuit. Admissi risum teneatis amici. Hæc argumen-  
to nobis sunt, Vavassorem, qui in litteris huma-  
nioribus tam perfectus erat, & tam multos Græ-  
cos Latinosque scriptores legerat, ne rudimenta  
quidem Hebraicæ linguae calluisse, neque un-  
quam Judæicos doctores consuluisse. Sed nihilo  
secius ad Hebraicum sermonem provocat, & doctores  
Judæos testes advocat. Verum tum Mer-  
çorum, virum in lingua Hebraica versatissimum,  
ducem sequitur. Hæc Simonius. Ex dictis  
elucet magna Vavassoris arrogantia, cum Hebrai-  
cæ linguae scientiam sibi tribuat, quam prorsus  
ignorabat. Elucet etiam fœda pigritia, quæ  
tanta fuit, ut ne vocabularia quidem consuleret,  
quamvis ex iis continuo scire potuisset, quid  
More Nebochim sonaret. Elucet denique, ho-  
minem Plagiarium esse.

§. V. Hæc, quæ jam attulimus, omnia declarant, quam amice voluntatis & intellectus vitia  
ad idem plagium sèpe conspirent, & quam vo-  
luntatis vitia per se idem efficiant. Ab histo-  
ricis, qui plura volent, exempla petent. Nos,  
pro instituti modo, paucissimis contenti sumus.

§. VI. Ceterum quanquam in furto litterario  
& ignorantiae & dubitationis aliquæ partes sunt;  
tamen potiores metui, invidiæ, ostentationi, ini-  
digationi ceterisque affectibus merito tribunun-  
tur. Scriptores igitur, qui horum affectuum  
instinctu aguntur, nemini dubium est, quin pecc-  
ent: quantum vero sit illoscum peccatum, satie-  
qui-

quidem certe adhuc dubium est. Nos pro virili planum id facere laborabimus. Sin conatus defuturus eventus sit, veniam quidem certe speramus.

## CAPUT VI.

### DE VARIA PLAGIORUM TURPITUDINE.

#### §. I.

**C**um nullum genus litterarum tam humile sit & abjectum, quin amatores inveniat, nec ullum tam nobile & arduum, quin cultores nanciscatur: non licet nobis dubitare, quin omnes cogitationes novæ & peculiares famam coneilient & admirationem. Ita enim sunt homines, quicquid amant, id ornari & amplificari gaudent. Gaudent autem ea vehementius, quo pauciores reperiuntur, qui disciplinas amplificant & perficiant. Paucitas enim aliquam gratiam habet & jucunditatem.

§. II. Quia vero universis plagiis hoc commune est, ut famam & admirationem ab inventoribus alienent, & in homines indignos confexant: apertum est profecto, tantam Plagii turpitudinem primariam esse, quanta famæ & existimationis honestas est. Quanta autem honestas illa sit, si universe spectetur; definire nemo, aut faltem ego non possum. Quare statim ad singula Plagii genera convertor. Horum enim tur-

turpitudo satis definiri declararique potest; si præsertim tota eorum ratio consideretur. Quædam enim Plagia, præter existimationis alienæ violationem, alia quædam vitiæ conjuncta habent, quæ ad eorum turpitudinem æstimandam multum conducunt. Accedamus igitur ad rem propositam.

§. III. Qui plurima capita ex ignoto Scriptoris adhuc vivi manuscripto decerpta, aut MStum totum pro suo edunt, non solum lectoribus imponunt, sed etiam Auctori & existimationem & emolumenta, quæ ex lucubrationibus præsertim diuturnis nascuntur, inique detrahunt. Existimationem, dum sibi observationum alienatum famam invidiose tribuunt; emolumenta, dum pecuniam, qua bibliopolæ nova inventare redimere solent, Auctori dolose præcipiunt. Hoc utrumque damnum nemo alteri afferre potest, quin humanam societatem dissolvat & ingratum animum prodat. Ingrati sunt enim hujus generis Plagiarii, quia laborem Auctoris, quem admirantur, non ea colunt memoria, quæ auctori honorifica sit. Societatem humanam tollunt, quod Auctorem emolumentis fructuque laboris privant: postquam enim in respublicas dominium rerum est inductum, non licet quenquam alienis bonis insidiari. Eandem societatem etiam detractione existimationis alienæ violant, si quidem recte calculum pono. Sed fortassis recte pono. Neque enim ea, quæ statim exprimam, quicquam habent, quod cum veritate non

sit consentaneum. Sic autem instituo. Solida doctrina (qualis fere Inventorum est) prodest ille quidem omnibus, qui eam studiose colunt, sed aliis prodest non potest, nisi enotescat & aliquod nomen consequatur. Jam vero cum humanæ societati omnes debeant prodest, omnes merito existimationem sapientiae seu doctrinæ legitime querunt & expetunt. Verum Plagiarius opinionem doctrinæ sibi non parat legitime, & præterea pro virili sua conatur effovere, ut sapiens ignoretur, vel certe meritissimis laudibus non celebretur. Violat igitur existimationem sapientis. Ita nocet sapienti ipsi, nam ignotus & incelebris in consilium vel plane non, vel certe a paucis, adhibetur; & quod consequens est, nec homines ab ipso, nec ipse ab hominibus utilitates debitas percipit. Nam vicissitudinem & quasi mutationem beneficiorum amant homines; qui ipsis nihil prodest, nullas vicissim utilitates capit. Nocet etiam iis omnibus, qui calamitatibus necessitatibusque suis proprio consilio non possunt subvenire. Nam cum Plagiarius tam doctus non sit, quam videri cūpit, non potest aliis sapientiam impetriri. Si qui igitur ad ipsum vel discendi vel auxilii petendi causa confluant; discipulos quidem rudes & improbos dimittet; consuletes vero inanis specie superbos prædæ scelerorum hominum relinquet. Quia vero discipuli rudes & perversi non esseat, si Plagiarius ipse sapuisset; neque auxiliu cupidi oppressi fuissent, si is bona præce-

pta dare potuisset: sequitur utique, Plagiarium utrisque perniciei & damno fuisse, non solum dedecori. At qui hominibus perniciem, jactantem bonorum, dedecus afferit, næ is humanam consociationem turbat. Plagiarius igitur evertit societatem humanam, dum existimatio-  
nem viri docti & sapientis violat. Nulla igitur pestis major in humanas mentes invadere pot-  
est, quam plagium, id est, conatus ille turpissi-  
mus solidam doctrinam (quæ fore in Inventori-  
bus est) & solidae doctrinæ opinionem distracti-  
di. Etenim ipsis etiam scientiis calamitosa est  
ista distractio & contumeliosa. Cum enim illi, qui  
solidam sibi doctrinam & inventiones affangunt,  
in homines litterarum ignorantie contentuque  
superbos incident, non possunt eam, quæ litter-  
ris debetur, laudem & honorem pueri ac defen-  
sare. Ita fit, ut ipsa doctrinarum dignitas se-  
verissime contemniatur, magna multorum, ad  
quos ejusdem erroris contagio serpit, detinend-  
to. Quanquam igitur Mathesi nihil est utilius,  
quippe cuius usu commercia civitatum commo-  
ditasque & munimenta stabiliuntur; tamen pro-  
pter hemunciones istos contemnetur. Quan-  
quam disciplinis morum humana societas com-  
munitur; tamen Plagiiorum culpa sepe ne-  
glectæ jacebunt. Quanquam Physica cultores  
sæs infinita rerum admirabilitate delectat; ta-  
men despicietur. Eadem fortuna ceterarum de-  
nique scientiarum erit, tametsi nihil roboris ha-  
bet supersticio, quia a Philosopho, Critico &  
Theo-

Theologo convellatur; nihil fuci Atheismus, quin abstergatur; nihil credulitas inertiae quin corrigatur; nihil Scepticismus inconstantiae & versutiae, quia tandem constrictum teneatur. Plura dicere nihil attinet, quanquam ex longiore disputatione identidem magis emerget, quale detrimentum illud esset, quod litteris afferunt Plagiarii, hoc est, vani doctrinæ solidæ ostentatores. Hæc oratio vero si longior fuerit, cum magnitudine utilitatis ac veritatis comparetur: ita fortasse etiam brevior videbitur. Etenim cum vel inter ipsos eruditos sint, qui de Sapientia existimatione non ita sentiant, ut debent; longior disputatio pene necessaria fuit, ut dissensus tolleretur. Oritur autem dissensus ille ex opinione eorum, qui virum sapientem seu solide doctum esse dicant, qui non idem sit vir bonus. Divellunt itaque sapientiam & virtutem, quæ tamen natura cohærent. Est enim duplex ratio, qua cohærentia ista demonstratur. Prima dicitur ex sapientiae definitione, quæ (ut veteres quoque censuerunt) est rerum divinarum & humanarum, causarumque, quibus hæc res continentur, scientia.\* Scientia autem est cognitio firma & solida. Cognitio solida maximam partem ex usu rerum oritur, non ex lectione vel auditione.\*\* Ita vera cognitio saporum, sonorum,

\* Cicero libr. II. de Offic. c. II. & libr. V. Tusculan. Question. c. II.

\*\* Vedit hoc Lactantius, Nec, inquietas, si phisico-

rum, colorum, urbiuum, hominum, animalium, regionum, omniumque rerum naturalium non ex philosophorum disputationibus, sed usu nascitur. Ergo etiam Logica, etiam mathesis, etiam virtus exercitatione, non preceptione philosophorum, penitus & omnino noscitatur. Igitur sine virtutis cultu tam non potest intelligi sapiens, quam vir bonus. Altera ratio, qua sapienti virtutis studium vindicatur, ex praceptis Logitorum ducitur. Hi enim monent, ut affectus corrigit, qui veritatem nosse velit. Quid est autem correctio affectuum? quid est virtus? Nomen haec duo verba unum idemque sonant, quanquam inter se discrepate videantur? Corrigere tuos affectus, amorem, odium, invidiam, audaciam, trepidationem, talius labes; ego tibi virtutis, non perfectae quidem, sed tamen virtutis, laudem tribuam. Quodsi vero prius debeas virtutis cultor esse, quam sapientiae; fieri certe nullo pacto potest, ut sapiens sit, qui non idem sit vir bonus.

**f. IV.** Ceterum ut non omnes, qui in consilio Sapientum collocari gestiunt, istic collocati debent: sic violatio existimationis eorum cum violatione existimationis sapientum comparata non debet. Quare nos de Plagiariis MStorum

## D

## Meta-

*Iosophi doctrina litterarum mirabiles extiterunt; ego etiam illis scientiam veri cognitionemque concesserim, quam nemo cogitando aut disputando adsequi potest. Libro III. divin. Instit. c. L. n. 6.*

Metaphysicorum & similium, non tam male existimabimus, quam de Plagiariis, quos modo notavimus. Quid autem de iis existimandum sit, non erit obscurum, si eos sequaris, qui de rudisribus Metaphysicis, de ineptis Criticis, de intempestivis argutiarum & inutilium antiquitatum ostentatoribus, de gloriabundis labecularum in eruditis castigatoribus, & reliquis hujus generis scriptoribus, idem se dicant sentire, quod boni viri de illis judicarent, qui umbram oraculorum ex antro Delphico afferrent; testem non audient, sed docerent, antidotum ex salis & antimoniis mixtura somniarent; metallum domesticum præ vetusta rubigine peregrina contemnerent; sapientiam denique aut certe sapientiaz partem in illa sententia ponerent: Ego miror, & in sinu gaudeo, me videre, homines non esse Deum; ergo ego sapiens sum & beatissimus. Sane hæc judicia si vera sunt, Plagium existet, quod omnes honestæ ac perpetuæ famæ studiosi scriptis suis ineptis optare debent. Sed tamen quia & Metaphysica<sup>\*</sup> & similes Scientiaz<sup>\*\*</sup> a quibusdam etiam amantur, earumque auctores & amplificatores commoda quzdam nancisci possunt; nihil spei superest Plagiariis, ut societatem humanam non laesse.

\* Id est, *Ontologia* vetus rudior & opinis plenior. Nam recentiores *Ontologiae* satis bona sunt & utiles.

\*\* *Geomantia*, *Astrologia Graeca*, *disciplina Etrusca* &c.

lefishi videantur, si quando Metaphysicorum inventa nova deprudentur.

S. V. Manuscriptorum Plagiariis, de quibus modo diximus, aequiparandi penes sunt illi, qui recentissima eruditii cajusdam inventa ut primum inaudierunt, statim edunt, ut inventoriam precepiant. Etenim hi plagiarii etiam cruditas imponunt, & existimationi emolumenitique inventoris obfunt. Quia enim inventor edere tam gloria & commodo poterat, illi precepunt. Est autem hujus Imposture turpitude et inscitia Plagiatorum iudicanda; ex eventuam, qui imposturam sequuntur, indignitate<sup>\*</sup>; ex cetera locorum ac temporum ratione<sup>\*\*</sup>. Damni, quod Auctori afferatur, magnitudo metienda est more illorum temporum ac locorum, quibus bibliopole libros novos ad edendum emunt. Existimationis violatio ex praceptorum inventionumque praestantia vel levitate estimanda est. Sunt autem praestantiora praecpta illa, quibus ad veram sapientiam ducuntur homines; ignobilitate contra, quae a vera sapientia longius recessunt, & quibus vel optimae florentissimaeque civitates facile carent. Sed quia ex utroque hoc disciplinarum genere, singulæ quedam scientiae pro temporum varietate majoris minorisve ha-

D. 2                      bene

*\* ex e. cum mentis demandatur Plagiario, quod  
vires non posset.*

*\*\* s. e. cum per plagium competitorem deflueret  
probus a iusta spe dejectus Plagiarius  
e. c.*

bentur; siccirco existimationis violatio jam magis, jam minus inhonestata videbitur. Observandum igitur curiose, quid seculi cuiusque genius probet & in præcipua laude ponat; Praetare enim & ad causam hanc accommodate canit Poeta Gallus: \*

Etsi seculi genus Deus mortalium.

Nequiequam ei repugnat exulta ratio;

Parendum ei, licet nihil minus velis;

Nihil forte malesamus videri gestas;

Etriam scientiis pretia sua statuit. &c. \*\*

§. VI. Verum Plagiarii, qui surreptas observationes eodem tempore, quo Inventor suas, publicæ luci exponunt, reddunt illi quidem inventionis famam dubiam; & existimationem commodaque aliena secum participant, suntque valde ingratii, sed superioribus Plagiariis æquiparati non possunt. Etenim quia cum inventore in famæ possessionem simul veniunt, efficiunt hoc tantum, ut æqualis utrisque laus deberi videatur: cum contra superiores Plagiarii famam omnem sic occupent, ut inventorem auctoremque prorsus excludant. Ceterum hujus etiam injustitiae turpitudo eodem modo metienda est, quo in superioribus Plagiis.

§. VII. His et minus peccant Plagiarii libro-

rum

\* Satire contre la Mode, pag. 8. verba gallica  
latine reddidimus, ne bis ponenda essent ea-

dem.

\*\* Adde elegantissimum Barclajum in Icono &  
nimorum c. II. p. m. 17. seqq.

rum editorum, qui ab aliquo tempore in Eruditorum manibus versati cœperunt. Minus enim & famæ nocent, & commodis Auctoris. Ingrati tamen & stolidæ jactabundi sunt. Ingrati quidem sunt, quod doctori suo non eam præstant memoriam, quam debent. Debebant enim honesta commemoratione testari, unde profecerint. Ast ipsi contra plane negant, se aliunde profecisse. Longe igitur abhorrent ab illius theologi consuetudine, qui diem illum, quo Aristotelem lexitare cœperat, sibi solennem esse voluit. Sed plagiarii meminisse debebant, magna omnino beneficium esse veritatem, ut potest quæ plurimum jucunditatis, saepè etiam utilitatis plurimum habet. Contingit quidem frequenter, ut Plagiarius etiam in falsas sententias incidat, quas exscribat: verum falsitas illa ab ingrati animi culpa non liberat. Satis enim culpe est, quod illam inter exscriendum pro veritate arripuit & aliquid esse putavit. Quemadmodum enim is, qui venenum furatur, a furto non potest absolvī, quamquam venenum non sit medicamentum: ita ingrati animi crimen non effugit, quisquis falsitatis obteritu illicet se declinaturum sperat. Turpitudo vero ingens huius ratio ex stulta Plagiarii jactantia accedit. Usus enim rei alienæ non optimus ferri utcunque potest; superba dissimulatio usus & arrogantia ferri non potest. Itaque experientia docet, in re litteraria tranquillitatis turbamentum fuisse arrogantiam.

S. VIII. Hac cum scripsisse, vix fieri posse putabam, ut quisquam esset tam impudens, temerarius & ineptus, ut librum recentem in eadem natione eodemque urbe publicaret ac fibi tribueret, ne si quidem illum ex alia lingua in aliam translatisset. Neque enim ex hujusmodi plagio aut existimationem ullam, aut consumendum insigne, aut oblectationem liberalem sperari posse putabam. Cum enim libri appetititia memoriam vetustas nondum obliterarit, se auctori ejus immortalitas jam desponsata sit; apparet utique, omnem existimationem in discrimina adduci, si quis eandem immortalitatem versione quadam ambiat. Deinde cum liber sat recens facile compagri & perlustrari queat, veris non modo bibliopolie fructuosa fore videbantur, sed ne plagiario quidem. Hic enim cum bibliopolam misere deceperit, procul dubio fraudulentiae penas dare, & bibliopolie omnem impensam resarcire debet. Cum denique nihil molestius sit quam versionis labor, vix credibile erat, quenquam qui voluptatis causa litteris vacat, ad libros vertendos animum esse applicaturum. Sed nihil secius tanta nonnunquam inconsiderantia sunt homines quidam, ut famam ex infamia, emolumentum ex intertrimento, voluptatem ex molestia querant, hoc est, scriptum novum & omnibus passribus notum librariis atque eruditis tanquam ignotum obtrudant, postquam illud in aliam linguam transtulerunt. Omnino qua hisce Plagiariis mens, qui

sen-

sensus fit, divinare non possum. Nisi forte versionem quoddam quasi Medusæ caput esse credant, quod eruditos in lapides vertat, & humano sensu omnique memoria privet: Imo vero, (ut ad rem accommodate loquar) nisi iis, qui vili tectorio alienam domum obleverunt, statim domini jura & architecti personam deberi arbitrentur. Cujus me erroris ac perversitatis valde commisere fecit, ejusque mentionem invitissima facio; sed instituti nostri leges nihil dissimulari patiuntur. Malum igitur nullos unquam fuisse, qui, ut scorta nonnunquam in matronarum consilium honesta ueste irrepunt, sic ipsi in Auctorum eccliam versione se ingererent. Verum eum aliqui tales utique fuerint, & a viris doctis jam infamari coepirint, a nobis prætermitti non debeat. Exemplum ad memoriam insigne ex libro verè sapientia plenissimo, ipsius libri verbis proponam, que hæc sunt: *Dottissimus Camillus Leonardus Medicus Pisarensis scripsit librum hunc de GEMMIS anno 1516. Et Venetiis editum, dicavitque Cesari, Borgie glorioissimo duci Romandole; Ludovicus Dolce hoc idem opus e Latino in Etruscum Idioma + transluxit, Et suppresso verè Auctoris nomine, suum apposuit, Et sub proprio nomine, ac si ipse verus esset Auctor, Venetus*

D 4

edidit

*Id est, in sermonem italicum, qui in Hetraria elegantissimus esse dicitur. Unde lingua Italia sepius Hetrusca seu Toscana vocatur.*

*edidit anno 1565.* \* Vides h̄ic Plagiatum, qui librum non vetustum in Italia Venetiis editum, quadraginta novem post annis Italice versam in eadem Italia iisdemque Venetiis edit, & se auctorem profitetur. Vides, hunc Plagiarum ingratum hominem esse, impudentem, laboris sui stulte prodigum & existimationis secundum auctorēm.

S. IX. Ab hoc Plagiariorum genere differunt illi, qui libros aut vetustate aut lingua peregrina ignotos expilant, vel ita vertunt & interpolant, ut novissimā ac domestici videantur. Hi Plagiarii nihil in auctorum commoda peccant, quia illi dudum aut expirarunt aut tanquam barbari contemnuntur. Sed tamen emolumētum & honorem, quem ex nova editione & versione satis honeste poterant adipisci, in honeste cōptant. Adhac Auctorum existimationem apud posteros vel gentes externas laedunt, dum ingrato animo efficere conantur, ut Auctorum memoria plane oblivioni tradatur, aut saltem ignoretur & parum celebretur. Hujus existimationis violatio partim ex Auctorum voluntate metienda est, partim ex Plagiariorum perseveritate & impostura. Si Auctor in scribendo hoc voluit, hoc spectavit, ut suum erga posteros animum testaretur; inhumani sunt profecto, qui testimonium illud ab Auctore in se transferunt. Etenim id, quod ad imitationem sibi proponere

\* Vid. Baglivi Opera omnia Medico-practica pag.

dēbabant, in fraudis ac malitiæ stimulū convērtunt. Sin aliquid quid ante oculos habuit Author, uti famam diuturnam & similia: meritos nos vicem ejus dolēmus, quod in rebus caducis & incertis aliquam voluptatis pārem posuit: sed nihilo excusatiū peccant ejus plagiarii, quod eruditos decipere conantur, & in honeste in iisdem rebus incertis felicitatem suam ponunt. Illi præsertim Plagiarii, qui exterorum libros pro suis venditant, temerarii sunt, quod malevolentia & invidiæ suspicionem malint, quam præclarissimam ingenuitatis ac candoris laudem. Quæ quidem candoris laus tanto est melior & bonis viris gratior, quanto majori contentionē de inventionum gloria pro sua quisque gente disceptare solet. Semper autem hujusmodi contentiōnum occasio vitanda, & veritas concordiaque preoptanda. Nisi vero vehementer fallor, sæpe Autores, vernacula lingua utentes, hoc sibi prop̄positum habent, ut inventorum gloria paulisper in gente sua resideat, & inde demum ad alias gentes perferatur. Sæpe tamen aliæ quoque causa sunt, cur scriptio vernacula scriptiōni latinæ præferatur. Quales ex Bruckhusio, Viro eruditissimo, cum Amstelodami essem, audire me mini.

¶. X. Qui veterum libros sibi tribuerent, reperti suā complures. Præ ceteris tamen turpe stigma inuritur famulo isti Manutii; is enim Ciceronis librum de Gloria, maximam certe partem, exscripsisse & ipsum Ciceronis librum abo-

levissे fertur.\* In quo vel eam ob causam magna opere peccavit, quod ille liber unicus supererat. Adhuc certe quidem nemo est repertus, qui Ciceronis librum de Gloria aut viderit aut ediderit.

S. XI. Solet etiam illis Plagium exprobrari, qui in libris suis silentio tegunt nomina auctorum, a quibus peculiarem sententiam unam, aut certe paucas acceperunt; quanquam inventionem illarum diserte sibi haudquaquam arrogant. Videtur enim modestia hæc & nominis reticentia ex animo non ita sincero & ingenuo proficiere. Nec sane dubium est, quin a multis hic peccetur. Etenim ipsum fere suam arrogantiam & invidiam produnt, tum reliquis moribus, tum ipso scribendi genere. Quod exemplis facile posset declarari, si in re quotidiana & obvia exemplia opus esset.

S. XII. Sed ut in aliis rebus modus quidam tenendus est, ita h̄ic etiam iudicandi libertas coercenda est & augustioribus terminis circumscripta. Ego certe quidem a quibusdam scriptoribus, qui Sententiis librorum editorum utuntur nec tamen nomen auctorum apponunt, omnem ingrati animi jactantiaeque suspicionem lubenter & facile abjudicaverim. Neque enim omnes, qui pravis affectibus indulgere videntur, revera iis indulgent. Sæpe enim similiima instituta dissimilimas causas & eventus habent. Atque inique judicant, qui ex similitudine institutorum sumi-

\* Vid. Bælli Diction. Critic.

nam semper ex uia alienarum sententiarum sine commemoratione Auctoris, de arrogantia vel alia quadam prava cupiditate suspicari; quamquam aliqui scriptores istorum vitiorum merita suspecti sunt, cum alienis sententiis sine auctoris predicatione utuntur. Quodsi vero uisa alienarum sententiarum sine arrogantia & invidia esse potest, videndum est, an uisa ipse vitiosus haberi debat, et si ab arrogantia similibusque vitiis separatus sit. Mihi non videtur vitiosus esse, ergo acc scriptores commaculare. Hae ut ita sentiam, variz metationes moveant. Quae antequam edifferant, distinguendi sunt scriptores: alii enim historici sunt, alii disciplinas tractant, quos hic philosophos appellabimus. Historici plerisque in rebus aliena ratione nituntur. Hae autem utrum vera sit an falsa; ex narrantium persona, aetate, natione, doctrina, affectibus, aliisque rebus judicari debet a lectore.\* Historici itaque qui auctorem narrationis, quam sequuntur, non nominant; fidei sublestæ, sape etiam falsitatis suspecti erunt. Quoniam autem nemo historicus sublestæ vel etiam pravae fidei suspectus esse vult aut debet; icebro non potest auctores narrationis suæ occultare & omittere. Varillasios certe non amant viri docti, & in rebus dubiis Strabonis illud collaudant: *Kai τὰ uta*

\* De his plura dicentur in dissertatione DE  
OFFICIO SCRIPTORUM IN NOMI-  
NANDIS AUCTORIBUS.

TÄVTA δὲ τῷ λέγομεν, ὡς οὐκ εὑρότες αἴσιοι  
εἰσι μάρτυρες; Hec ita quidem narramus, ut te-  
stes fide dignos nominare nequeamus.\* Hæc enim  
vox candoris est plenissima, fictionis contra &  
credulitatis expers. Sed vero de philosophis,  
qui disciplinas earumque partes tractant, aliter  
comparatum est. Philosophi enim officium  
tantummodo hoc est, ut veritas perspicue soli-  
deque doceatur, & falsitas modeste accurateque  
confutetur.\*\* Quævis veritas autem vel per so-  
clariſſima est & certissima, \*\*\* vel per longam  
propositionum ſeriem demum clara & certa eva-  
dit. Illam auctoriſ nomine insignire superva-  
caneum ſapientius est: hanc etiam nec clariorem  
nec firmiorem efficit nomen auctoriſ. Adhæ-  
cruditi, qui omnem rationis uſum non prorsus  
ejurauunt, facile intelligunt, prætantissimos et-  
iam scriptores homines esse. Ab hominibus au-  
tem humani nihil alienum est; errare autem hu-  
manum est: itaque vel prætantissimi viri errare  
possunt, & in iis rebus omnibus; ubi consequen-  
tia.

\* Geograph. pag. 201. Narraverat Strabo aliqua  
de Hibernis, que a moratiorum gentium  
confuetudine abhorrent; tum addit verba  
illa, que hic afferimus.

\*\* Hoc ego philosophi non esse arbitror, testibus  
uti, qui aut casu peri aut malitia falsi facti-  
que esse possunt.

\*\*\* Argumentis. Ex rationibus oportet, quare  
quidque ita sit, docere Et c. Cic. libr. II. de  
Divinat.

ter non ratiocinantur, errant. Errores autem nomine præstantium vitorum veritates non sunt: igitur necesse non est, ut dum eorum errores enarramus, nomen errantium commemoremus; eum præsertim æquitas postulet, ut honeste potius de doctis viris sentiamus, quam sinistre & contemtim. Videbitur autem sape contemtim de iis sentire, qui erroribus eorum enarratis nomen etiam apponet. Deinde prudenteria sape exigit, ut nominatim non appellatur auctor, cuius peculiarem sententiam veram sequimur. Cum enim homines plerique solis auctoritatibus gubernentur: nec ipsa rerum momenta ponderent: inconsulte profecto agit scriptor ingeniosus, qui isti hominum errori non quovis modo medetur. Etenim nulla pestis maior in vitam hominum invadere potuit, quam auctoritatis amor. Plurimos enim in maximas calamitates congecit, quosdam ipsa etiam vita priuavit. Reete enim Lactantius: *Cato*, inquit, videretur mihi causam quæ siffæ moriendi, non tam ut Cesarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos settabatur; nomenque suum grandi aliquo facinore clarificaret.\* Vide, quid auctoritas valeat! Sed hoc nihil est. Nam de tota re litteraria melius satis compatatum esset, nisi Aristotelicum nomen, velut empusa quædam, vires ingeniosos deterruisset, ne veritatem quererent, aut sponte oblatam tenerent & am-

\* Dñini Institut. libr. III. c. 18. n. II. pag. 215 add.

plectentur. Quatis enim rixis, &c, quod nunc  
vix credibile est, periculis objecti sunt, qui ab  
Aristotele vel latum unquam discedebant.\* Itane  
vero viros veri amantes ipsamque veritatem tra-  
ctare decet? Ne quisquam vero. Quare officium  
nostrum est, ut diligenter provideamus, ne ullius  
unquam auctoritatis amor sic invalefcat, ut supe-  
rioribus temporibus factum est. Non invalefecit  
autem auctoritas illa, si curemus, ut auctoritates  
nonnunquam omittentur, nec veluti fercula Jo-  
vis Ferentii obseruentur. Quid si igitur rem pul-  
leram & honestam ex recentiore quodam Aristoteli-  
cis hoste doceas, satius est, hostis illius nomen  
silentio tegere, quam Aristotelicos, quibuscum vi-  
vis, nominato auctore exacerbare. Res enim  
ipsas honestate & veritate prestabiles ferre pos-  
sumus facile, sed autores earum ferre non pos-  
sumus.\*\* Quin etiam sape ipse res verissimas  
honestissimasque concoquere non possunt ho-  
mines quidam, propter auctorem vel narrato-  
rem.\*\*\* Ita certe Rogerii Baconis inventa ple-  
taque.

\* Vide fortunam Henrici Ragd apud auctorem  
libri: *Voyage du monde de Des Cartes* pag.  
118. Et fortunam Rami apud Freigim, Nan-  
celium, Balium &c.

\*\* Vid. Eundem librum Part. III. p. 184.

\*\*\* Nota est historia locorum communium Phi-  
lippi de Terra Nigra, & Commentariorum  
Arethii Felini in Psalmos. Ed. Snodgo-  
riana.

raque verissima sunt & praelata, nihilo serius Rogerium vexabant & ipsius inventa oderant tives ejus.\* Jam singamus vixisse eo tempore, quo Rogerius vivebat, virum veritatis honestisque amatorem, qui arcana quazdam Rogerii Baconis inventa, sine auctoris mentione, publicarit: num in honesto Plagiarii nomine illum infamabimus, propterea quod Rogerii, cui Magiz notam inurebant invidi & calumniatores, mentionem nullam fecerit? Neutquam hoc patientur honesti viri. Quis est enim, qui hominem innocentem in calumniarum societatem detrudi velit, commemoratione virtutis, improbe quidem sed tamen valde invisi. Qui hos momentum nec curate ponderat, & fortassis plane contemnit; ne is in historia litteraria parum versatus est, & rem gravem ipsamque veritatem pro nihilo dicit. Quod utrumque malum & turpe censeo. Sæpe enim impetu quodam res gravissimæ condemnatae, sæpe levissimæ exquisitiissimis panis vindicatae sunt: raro accidit, ut judicio res disceptarentur. Galilæus in eoceteram conjiciebatur propter motum terræ & stœcum solis: Copernicus antea eandem ob sententiam in auctoritate & amore fuerat. Remi discipulis ad honores aditus non patebat tanquam hereticis, id est, tanquam hostibus religionis divinae & adeo humanæ generis, (nam religio vere divina societatis humanae firmamentum est.) Causa, si queraris, erat,

\* Vd. Olavum Berriquum de Oris, Et Progressi Chemie pag. 123.

erat, quod verbum *Quisquis* non pronunciarentur  
communi tum Gallorum more *Kiskis*, sed ita uti  
nos, *Quisquis*. De Universalibus Nominales &  
Reales sic aliquando dissentiebant Parisiis, ut dis-  
sensum non odiis clandestinis vindicarentur, sed  
pugnis etiam & sanguine. Quid multa? Nihil  
unquam boni habuit auctoritatis amor & fiducia.  
Quicquid igitur amorem illum turpiter & impro-  
be munit, id diruendum est & funditus tollen-  
dum. Sed haec omnia, quae diximus, in sola ve-  
ritate propagandi locum habent, & propaganda  
quidem a viris magni judicii & doctrinæ, cum in  
tempora veritati itiquissima inciderunt. Dete-  
stamur itaque eos, qui pravas & impias senten-  
cias ex libris nefariorum sine auctorum nomine pro-  
ponunt. Horum enim conatus nulla excusatio-  
ne tegendus, nulla venia dignus est. Quaqueb-  
rem si quis Luthero nostro ex libris Postelli Athe-  
ismum, aut ex alio impuri hominis scripto Ama-  
dissimilatum tribueret auctoritate, horrescunt omnes bo-  
ni & veritatis studiosi, quamvis auctorum illo-  
rum nomina curibusc eelebantur. Nam vel ex haec  
ipsa auctorum pessimorum reticentia conatus de-  
terrimus eluet. Tertio scriptores multi erudi-  
tis se scribere profitentur. Eruditi autem, qui  
bus scientiarum cultores & amplificatores noti  
sunt, non egent veruadem nominatione. Igi-  
tur supervacuum est, de amplificatoribus istis  
in ipsa disciplinarum professione differere.  
Quarto ex comparatione scriptoris philosophi  
cum amplificibus aliis patet, cum peccato graviore

carere, tametsi doctoris sui vel inventoris mentionem interdum non faciat. Pictor, qui Romæ, Parisis, Madriti, alibive, singularem imaginem, imitandi copia facta, præclare imitatur, tamque dein saepius expressam cum amicis communicat, nihil peccat, etsi nec auctorem archetypi, nec eum qui ipsi istam imitandi copiam fecit, nominet. Medicus nullas humanas, nullas divinas leges migrat, quum aegrotis praestantissima fomenta & sauciis emplastra saluberrima obligat, quamvis doctoris sui nomen raseat. Ego illi certe, ob hanc doctoris reticentiam, ingredi animi notaer inurere nequaquam ausim. Neque enim satis luculenta ingrati animi nota est ista reticentia. Adhæc negari nequit magnam libros editos cum aliis rebus usui publico expositis convenientiam habere. Quemadmodum igitur is, qui ignem artificem, aut picturam statuamve bellam in foro posuit, cum homine aequato & ingenioso, qui illas res statim imitaretur familesque in foro publice poneret, queri & expostulare non potest: ita pariter vir eruditus cum imitatore suo de injuria aut malitia saepè nequicquam expostulat. Nominis enim reticentia non est injuria vel malitia, saltem non semper est. Olim equidem, fatior, cum studiū historiæ litteraria ac bonorum librorum frigeret, libros auctoresque eximios in disciplinis crebro nominari fas & necesse erat; ut appareret, unde nostra præcepta profecta essent: Sed nunc, cum historia litteraria ubivis ferueat, pristinus mos

ut servetur, pene non est necesse. Quemadmodum etiam olim in Academiis cum disciplinis nulla historia p̄mitteretur, illarum explicatio auctorum nominatione s̄epius interrumpenda erat: at nunc, cum in pr̄stantioribus Academiis historia disciplinarum d̄icilinis ipfis p̄mittitur, pristina docendi consuetudo cessare potest. Rectissime igitur Philosophus, si sapiat, disciplinam aut quandam ejus partem tractaturus, historici primum, deinde doctoris personam sibi sumet. Ita enim criminaciones omnes effugiet. Sed tamen, si forte historicis relinquat commemorationem auctorum, unde p̄cepta sua depromsit, interdum nihil admodum delinquet. Ad summam, ne de singulis agere necesse sit, naturam sententiarum peculiarium considerari velim. Si enim eam intelligas, de peccatis Plagiorum judicare poteris: Sin minus, non poteris. At peculiaritas & communitas sententiarum obscurissima est & incertissima. Late patet peculiaritas, late patet communitas: sed fines & quasi termini communitatis ac peculiaritatis nondum sunt a quoquam constituti.\* Qui-dam ad communitatem pertinere, judicabunt ea, quæ alii ad peculiaritatem. Etenim magna pars doctrinarum versatur quasi in vicinia & communitatis & peculiaritatis, ut nescias, utrum eas ad communes, an ad peculiares referre debeas. Si

\* Illi ipsi, quos supra c. I. §. 15 constituimus, aliquam habent latitudinem, nec potuerunt curatus designari.

peculiaritatem ad temporum brevitatem adstringas, &c, quæ recentioribus libris tradita sunt, ea pro peculiaribus habeas, magnopere nonnunquam errabis. Nam, ut supra dixi, \* quædam sententiæ peculiaritatem celerrime amittunt, quædam tardissime, ut etiamnum ex libris vetustis notisque sententiæ quædam proferantur, quæ adhuc tam ignota sunt, quam novissima quæque inventa. Sin peculiaritatem ad ingenium & doctrinam cuiusque scriptoris alliges, ut, quod cuique pro sua præceptorumque suorum doctrina novum & singulare videtur, id pro tali habere ac docere debeat; multo quidem rectius & melius senties: sed ipsa illa eruditio & doctrina cuiusque quam varia est & multiplex! Illi qui celebriores Academias adierunt & doctissimos fidelissimosque doctores audierunt, multa communia putabunt, quæ alii peculiaria. Adhæc sœpe fit, ut ii, qui philosophiam & historias nonnquam attigerunt, sed solis sese linguis dederunt, singularia quædam & rariora philosophorum historicorumque decreta, casu in itinere aut in congressionibus colloquiisque doctorum, resiscant, quæ ipsi pro raris non habeant, sed philosophis notissima putent. Hi igitur, si decreta ejusmodi pro re nata sine auctoris nomine in scriptis suis usurpent, an Plagiariis annumerentur. Sin denique peculiaritatem conjunctim, & ex librorum novitate & ex doctrina cuiusque scriptoris metiaris, sapienter profecto & bene facis:

E 2

sed

\* Cap. I. §. 15.

sed tum vereor, ne res tua ne sic quidem feliciter procedat. In accusatione certe & Plagiorum singulorum, iudicatione tantas saepe difficultates offendes, quantas, antequam experiaris, non suspicieris. Atque haec & complures aliae rationes, quas nunc afferre nihil attinet, ita comparatae sunt, ut animum in dubio versari non sinant, sed veritatem sententiae nostrae feliciter ostendant.

§. XIII. Neque vero rationes, quae forsitan opponi queant, ad nos commovendos quicquam valent. Etsi enim nonnunquam veritati novae gratia conciliatur ex auctoritatis appositione: etsi nonnunquam lectori consulitur, si ad alios auctores, qui in eisdem rebus tractandis prolixiores nobis fuerunt, amandetur: etsi nostra fidei saepius interest, ut, cum errores refellimus, librum, in quo is propugnat, indicemus, quo cum auctore sincere agere videamus: etsi saepe aliae cause nominationem auctorum suadeant; tamen a sententia illa, quam modo proposuimus, nos nondum discedimus. Illi enim, qui haec talia nobis objiciant, non satis intelligunt, quid sibi velit sententia nostra.

§. XIV. Fatalemur ingenue, nos id agere, id pugnare, ut nimia illa auctoritatum auctoritas labefactetur, & simplex veritas sine respectu auctoritatis diligentius perpendatur & ametur. Fatalemur, nos eam ob causam viro docto, suspiciosissimus temporibus, magnam libertatem vera unde cunque sumendi dare, & circa nullam fontes nomi-

nominandi perpetuam necessitatem imponere. Sed tamen ei nequaquam omni omnium fontium nominatione interdicimus. Licebit itaque cuivis veritatem novam ab invidia liberare, adducta auctoritate eomuniter grata: licebit auctoritatibus ab omnibus sine ulla exceptione probatis pugnare: licebit lectorem ad libros prolixiores amendare, cum nobis brevitati est studendum: licebit cuique disputatori, ne adversario suo sententiam iniquam affingere videatur, libro adversarii citato, fidem suam liberare. Hæc enim omnia nunquam improbabimus, sed laudamus potius. Quis enim Jo. Diecmannum, virum doctissimum, infectari audeat, quod Bodinum refutaturus, impii hominis verba prolixè descripsit? \* Utinam idem omnes, qui unquam vixerunt, scriptores fecissent, pauciores sane calumniatores numeraremus, quales ex omnibus seculis plures nominari possunt. Si Judæi, exempli causa, ex Samaritanorum scriptis cultum Assimilatio cuius demonstrandum judicassent; si Romani sabbata jejunata ex Judæorum libris exquisissent; si Gentiles Christianorum sacra ex eorum libris estimanda putassent, calumniatorum infamia carerent, neque Ludolfus \*\* & Collarius, \*\*\*

E 3

Sel-

\* Schædlaßm. de Naturalismo Bodini §. VI. pag. M. 46.

\*\* In notis ad Epistol. Samaritan. p. 22.

\*\*\* In Collectan. Histor. Samarit. cap. III. §. 9.

Seldenus,\* Kortholtus,\*\* aliique habuissent, quod indignarentur & confutarent. Illud igitur duntaxat demonstrare voluimus, saepe fieri posse, ut minus recte Plagiarius appelletur, qui sententiam unam pluresve ex alieno libro in suum transferat, & doctoris sui nomen historiae celebrandum relinquat.

§. XV. Sed tamen quia rationes, quas ad scriptores quosdam excusandos attulimus, non ejusdem ponderis sunt, haud dissimulanter concedemus, ut eorum quoque pars aliquid peccare videatur. Quoniam enim eruditis dudum in more positum est, ut scriptis suis ex præstantium auctorum appellatione commendationem querant: eorum exemplum deserit, quisquis sine gravi causa aliter agit. Quisquis autem in rebus indifferentibus (quas dicunt) præstantium virorum exemplum deserit, is decorum violat. Est enim decorum, actionum nostrarum indifferentium ad præstantium virorum exemplum accommodatio. Quamobrem quidam illorum, qui peculiares sententias usurpant, nec istorum auctores nominant, decorum violare merito censentur. Que madmodum igitur, decori & honoris causa, in convictu & conversatione erudita eum forte inusitator sententia proferenda est, quam ab aliquo istorum qui convictu interlunt, accepimus, continuo & sponte nostra sententiae illius

\* *De Jur. Natur. & Gent. juxta discipl. Hebr.*

libr. III. c. 15. pag. 369. 370.

\*\* *libr. integ.*

Hius auctorem profitemur ac celebramus: ita eadem decori ratio postulat, ut scriptores in libris suis, tanquam in colloquio cum eruditis viris, profiteantur, unde profecerint. Atque hujus decori, cum auctoratum amor apud nos olim magis exoleverit, observantiores simus, decebit. Et tum imitabimur Geometras, qui cum axiomata solum audiant, omnia definiant, omnia diligenter ponderent: tamen Euclidem aut Archimedem, honoris causa, nominant. Etsi enim Euclidis aut Archimedis præcepta multo notissima sunt, tamen peculiaritatis gratiam nondum exuerunt. Speramus autem utique fore, ut tandem auctoritas auctoratum Platonicarum, Aristotelicarum ceterarumque exolescat, & solæ rationes aliquid valeant; quandoquidem, Dei indultu, indies magis libere sententias quorumlibet philosophorum veritati consentaneas defendimus: cum olim Pythagora, Stoicis ceterisque proscriptis, unus Aristoteles omnia posset ac plane regnaret. Curandum est igitur, ut meditandi studium ferueat. Tum enim apparebit, nos auctoribus sententiarum meliorum multo minores gratias debere, quam nunc quidem putamus. At si hæc præjudicata opinio cadat, auctoratum admiratio & existimatio nimia cadat, oportet. Tum intelligemus, omnino rationem constitisse Bruyerio, quum ita scriberet: *Vanus est auctor, qui libro suo sui admirationem aliis injicere cogitat. Stulti quidem nonnunquam mirantur, sed ii sunt stulti. In hominibus ingenio præditis omnium*

veritatum & opinionum semina insunt: nihil numerum ipsis est, pauca mirantur, probantque.\*

§. XVI. Cum igitur satis constet, Plagiariis nonnunquam anumerari eos, quibus Plagium vere turpe non potest exprobriari; videamus porro, anno ad Plagiarios referre liceat scriptores quosdam, a quibus Plagii crimen vulgo abjudicatur. Est videlicet, nisi me omnia fallunt, illa quorundam opinio, dari posse communionem observationum nevarum, per quam Plagii vis & suspicio prorsus exolescat. Hos si sequaris auctores, nihil impedit, quo minus amicos duos, exempli causa, Plagii absolvias, tametsi alter alterius inventa sibi sumat & suo cum nomine publicet. Quae quidem sententia cum addubitationem nullam habere videatur, tamen mihi curate considerata non ita satisfacit, ut assentiar. Etsi enim id, quod ad illam communionem excusandam caput est, lubenter ponam, utrumque amicum in iisdem litteris elaborare, utrumque etiam, commutatione facta, observationes alterius nomine insignitas lubenter edere; tamen talis communio, qualem isti volunt, a me non potest intelligi. Neque dubito, quin mecum consentiant illi omnes, qui intelligunt, quid sonet observationum communio, & quid infuscavitia ineptiæque ab honestis licitisque facinoribus differant. Etenim generatim inventi seu obser-

\* Des Mœurs de ce siècle tom. I. pag. 78. Addit. Baconem Verul. Serm. 48. p. 246. edit. Lond. A. 1638.

observationis nomine nihil aliud significatur, nisi ratio & proprietas alicujus rei, quæ homini euidam primo in mentem venit.\* Atqui observatio, quæ euidam primo in mentem venit, eidem ita est propria & peculiaris, ut omnes ceteri, quibus ea postmodum traditur, fateri debeant, eam alienam esse, non suam. Atque sic aliena observatio non est propria, sed aliena manet, etiamsi postea vel unus tantum vel plures ejus fiant consciæ. Jam vero cum is, qui alienas observationes tanquam suas edit, earum auctor videri volit, aut certe efficiat, ut auctor esse videatur: apparet utique, hunc talenm ineptiro & imprudentie dolique crimen effugere non posse. Sed ut haec præcelare intelligentur, in certa genera describemus & amicos & inventiones. Amici vel solidi & germana virtute continentur, vel simulata & commentitia. Inventiones vel pari præstantia & utilitate se commendant, vel impari distinguuntur. Amici, quos facta & infucata benevolentia copulat, quum amorem sui nondum defuerint, alter alterius inventum præ suo contentent & præcipuas gratias sibi deberi putabunt. Uterque igitur pestilentissimi affectus lenocinio cruciabitur, posteaquam viros eruditos, commutationis illius ignoros, lepido commento deluserunt. Amici vero, qui germana fide ac

E s virtute

\* E. g. Magnetis proprietas respiciendi palum est, ut quidam volunt, inventum Joannis Goje, Amalphitan, quia is illam proprietatem in magnete primus animadvertis.

virtute conjunguntur , de nulla unquam inventorum commutatione cogitabunt. Iis enim veritas & simplicitas cordi , nec ineptiarum lepor voluntati est. Cum igitur intelligent , judices inventorum suorum commutatione ista decipi , vitiosum esse putabunt , ut errori quandam quasi ansam præbeant. Veniamus ad inventiones , quas vel pari vel impari præstantia esse diximus. In pari observationum præstantia minimum , imo nihil pene vitii videtur esse , præsertim si ad eandem scientiam spectent , quia sic earum judices minus infeliciter errant , si forte propter eas inventoribus præmia decernant & honores. Sed vehementer dubito , an unquam fieri possit , ut de præstantia duarum inventionum omnes judices idem sentiant , in tanta ingeniorum & voluntatum varietate. Interim veritas certe quidem contemnitur , & in re seria suaviter ineptitur. Quædam igitur , leves illæ quidem , sed tamen veritatis , leges violantur. Quævis autem etiam minima veritatis jactura veri amatoribus injuncta est. Sin impar observationum præstantia sit ; non est dubitandum , quin alter , qui præstantiorem sibi sumit , ignobiliorum alteri relinquit , graviter peccet. Cum enim in hac commutatione periculosius errari queat ab iis , qui in geniis favent aut ingeniorum historiam conscribunt ; facile intelligitur , ipsam illam commutationem quam maxime esse vitiosam. Quin etiam cum inventio aliena non possit communicali ; debes utique , si graviori culpa carere velis.

lis, illam invento pari compensare, non impari. Certum est igitur, in hac posteriore communione (si communio dicenda est summa distractio) turpitudinem graviorem esse, quam in Superiori genere.

§. XVII. Cum igitur non prorsus culpavant amici, qui inventa inter se communicant; dubitare non licet, quin ex duobus amicis alter, qui amici inventum sibi sumit nec invento remuneratur, peccet & eruditis imponat. Ne dicam, eum etiam ingratis animi suspectum fieri, aut invidiae, aut superbiae, ineptiarum quidem certe. Inventio enim est factum, facta singulis quibusdam propria sunt, propria autem alienari vel communicari non possunt, nisi forte facta fieri infecta possint. Consensio amicorum & benevolentia ad culpam hujus plagii tollendam nihil valet.

§. XVIII. An Plagii vis omnis expiret, cum exterorum inventa sibi quis sumat, saepius apud Baetium queritur.\* Sed ea quæstio ancipitem cogitandi curam non affert ei, qui ipsam expeditam velit. Quodsi enim prorsus nullo pacto fieri potest, ut cerevisia Brunsvicensis, cum a Batavis ad Garamantas & Indos affertur, Indorum opera & ingenio facta esse dicatur: non intelligo certe, quo modo exteri exterorum inventa sibi tribuere possint. Ut enim latrocinia gentis in gentem, quæ olim honesta aut licita sunt judicata, veram honestatem nullam repræsentant il-

lis,

\* In Diction. Critic.

lis, qui ista subtilius querunt: ita plagia extero-  
rum peregrinitatis nomine excusari non possunt,  
quamvis forte videri queant. Ita ego sentio.  
Nescio, an vir doctissimus idem sentiat. Nequa-  
enim, si recte memini, usquam judicium suum  
interponit. Sed mihi quidem, pro meo ingenio,  
res nihil dubii habere videtur.

§. XIX. Eset nunc ad cetera Plagii genera  
procedendum, ut videremus, quid pigritia, quid  
superbia, quid metus Plagio vitiositatis adjunge-  
ret; sed eam disputatiōm in commodiorem  
locum differemus. Erit enim nobis postea di-  
cendum, quibus rebus vitiositas illorum plagio-  
rum, quæ modo consideravimus, augeatur.

§. XX. Neque de ignorantia & dubitatio-  
ne agemus. Nam quid vel ad excusandum vel ad  
accusandum valcent, etiam alibi commodius ex-  
ponetur.

§. XXI. Illud potius rogo & implico, ut ii,  
qui omnia plagia juri naturæ contrariari putant,  
desinant tandem vitiæ omnia, quamvis gravia &  
horrenda, in eorum numero habere, quæ cum  
jure naturæ pugnant. Certe enim qui de Pla-  
gio sic judicant, non omnes boni judicis partes  
observant. Errorem vero suum hi tales faciliter  
agnoscent, cum perspenderint, multa alia vicia  
etiam esse abominabilia, quæ tamen juri naturæ  
non adversentur. Si quis in celebritate fori no-  
dus ambularet, in honeste ageret & gravissima  
poena dignus esset, sed jus naturæ non violaret.  
Si quis vir gravis ac virtutis opinione clarus in

confessu honestorum hominum , & conspectu adolescentulorum , græcam hanc hypallagen, ἀσχὺς τηρεῖν αἱς λέγεται, pronunciaret nec tam germanico sensu acciperet: jus naturæ non offendere; quanquam adolescentulorum, forte circumstantium, aures pudoremque laceret. Socialitas enim nec isto incessu, nec græca hac sententia conturbatur. Socialitas autem est tanquam regula, ad quam res juris naturalis exigi solent & debent.

§. XXII. Moneo & illud breviter, quod ex usu sententiarum alienarum difficile judicatu sit de animo utentis. Quamobrem grave munus suscipit, qui Plagiariorum historiam persequi velit. Satis enim appareat ex iis , quæ diximus, quam facile peccetur, si Plagiariis aut graviorem aut leviorem culpam affingamus, vel eorum scopum statumque non satis curate consideremus.

§. XXIII. Quodsi Prophetas , fures divini afflictus , Plagiariis annuntiaretare potuissimus; ejusmodi Plagium habuissemus , quod morte dignum judicarent Judaicarum Pandectarum autores. Gravissime enim pronuntiant: *Vates mendax, qui vaticinatur ea, que non audivit, & que ipsi non sunt dicta; ab hominibus est occidens.*\* Quorum verborum sententiam Maimonides ita exponit:\*\* *QUI VATICINATUR EA, QUÆ NON AUDIVIT; is est qui profiteretur ea, que Deus neminem unquam singulari afflatu docu-*

it.

\*Sanbedrin. cap. XI. v.5.

\*\*Comment. ad b. l.

is. *ET QUI VATICINATUR, QUAE IPSI NON SUNT DICTA:* is hoc facit, qui afflatum alterius sibi assumit, & dicit: *ME DEUS HOC DOCUIT;* quod tamen Deus ipsum non docuit, sed alium quendam. Haec tenus Maimonides. Velim, rationes tantæ poenæ attulissent Judæorum Tribonianii, aut saltem eorum interpretes. Sed ab ista gente rationes nullæ sunt expectandæ. Pronuntiantur omnia tanquam ex tripode. Igitur eruditis relinquimus hanc provinciam, ut, si videatur, legis hujus Judaicæ rationem investigent, &, recte an secus sancta sit, declarant. Hæc enim inquisitio tum propter alias causas, tum propter intelligentiam celebris quæstionis de præstantia & utilitate Judaicarum Pandectarum, prorsus est necessaria. Evidem adhuc neminem novi, qui ad sapientiæ normam exegisset Pandectas illas; tametsi plures habeamus, qui ad eas explicandas Criticam & multam lectionem attulerint. Quodsi vero utrumque conjungatur & Critica & philosophia; tum demum perfectum de Pandectis illis judicium existet. Quæ adhuc de iis vel honorifice vel contumeliose dicta sunt, non sunt illa quidem contemnenda, quis enim hoc posset? sed tamen perficienda. Quod & optamus & sperramus. Hæc obiter.

S. XXIV. Discederem ad exequenda cetera, quæ nostrum officium postulat: nisi adhuc unius suspicioni esset occurrentum. Fortassis enim nonnulli vereantur, ne reticentia illa auctorum, quam initio propugnavimus, historiam litterati-

riam obscuret. Scilicet si plerique scriptores volumina, unde sententias suas depromserunt, reticeant; suspicio est, ne ipsorum scriptis aliqua lux detrahatur & quos quisque doctores haberit librosque legerit, ignoretur. Sed non est ita sane. Etenim ex ipsa quorumlibet librorum lectione docti homines facile perspicient, quem quisque auctorem secutus sit. Nam ex sententiis similitudine ac comparatione id conjectu proclive est. Ne nunc de temporum vitartumque ratione dicam, ex quibus multo etiam melius, quam ex citationibus, cognosci potest, quem sibi quisque scriptor ad imitandum & observandum proposuerit. Ac praeterea, si nostra illa sententia valeat, declinabitur vitium, quod mirifica elegancia perstringit Bruyerius; cujus verba, ne quid delibemus, sine interpretatione proponeamus: *Herille, inquit, soit qu'il parle, qu'il barague ou qu'il écrire, veut citer: il fait dire au Prince des Philosophes, que le vin enyvre, & à l'Orateur Romain que l'eau le tempere.* S'il se jette dans la Morale, ce n'est pas lay, c'est le divin Platon qui assure que la vertu est aimable, le vice odieux, ou que l'un & l'autre se tournent en habitude. Les choses les plus communes, le plus triviales, & qu'il est même capable de penser, il veut les devoir aux Anciens, aux Latins, aux Grecs: ce n'est ny pour donner plus d'autorité à ce qu'il dit, ni peut être pour se faire honneur de ce qu'il sait. Il veut citer.

citer.\* Velim, hie notes in ipsa auctorum prædicatione arrogantiam sepe latitans; quæ quidem prædicatio tam turpis est, quam reticentia ipsa, si ex eodem fonte promanet. Sed hæc breviter monuisse sat est.

## CAPUT VII.

### VITIOSITAS PLAGII QUANTA SIT, SI PLAGIUM CUM ALIIS VITIIS COMPARETUR. ET, UNDE VITIO- SITASILLA AUGEATUR.

#### S. I.

**J**Am cum constet, nonnulla plagia juri naturæ, quædam officiis humanitatis, alia decoro adversari; merito Plagia hæc cum aliis vitiis, quæ similiter vel juri naturæ, vel officiis humanitatis, vel decoro repugnant, comparantur. Utilis est illa comparatio & jucunda, sed non minus difficilis. Quare in tanta librorum omnis generis copia, vix unus & alter reperietur libellus, qui ipsa vicia inter se curate comparet; quamquam complures sint, qui homines vitiis inquinatos comparent. Nobis igitur, si in re difficulteremus, veniam bonorum virorum paratam fore speramus.

**S. II.** Ult igitur veritatem rite inveniamus, investiganda nobis ast quædam quasi regula, ad quam

\* Bruyere charact. pag. 525. adde tom. I.  
pag. 95.

quam si exigantur Plagium & alia quædam vitia, facile intelligatur, an plagium vitiis illis magis, an minus, an æque turpe sit. Uti enim in vita communi facile intelligitur, quanta sit panni longitudo, cum cubitus ad pannum applicatus est: ita facile erit intellectu, quanta sit & plagii & aliorum vitiorum turpitudo, cum ad certam quandam regulam & plagium & alia vitia quædam accommodaverimus.

§. III. Hujusmodi regulam suppeditant nobis quatuor potissimum loci; I rei & II personæ, contra quam peccatur, dignitas & præstantia. III status & conditio personæ, quæ malam actionem perpetrat. IV Malitia & leopus illius personæ, quæ lædit. Quamobrem tanto vitiosior a nobis censebitur actio, quanto rem meliorem ac personam præstantiorem lædit, quanto pravæ actionis auctor a maleficio debet esse alienior, quanto denique malitia crebrior, oceultior, atrocior est &c.\*

§. IV. Comparabimus autem primo Plagium cum furto, ut appareat, furtumne an Plagium turpius sit? Deinde comparabimus Plagium cum calumnia, itidem ut intelligatur, utrius vitiositas major sit. Denique Plagium cum crimine falsi contendemus. Plura vitia conferre nihil attinet, ne brevitatem nostram excedamus. Hæc tria autem cum Plagio comparabimus idcirco,

F

quod

\* *Vid. Pufendorf. libr. VII. de J. N. & G. c.*

*III. §. 18. 19. 20. 21. 22. & libr. I. c. VIII.*

*S. 5.*

quod iis cum Plagio magna convenientia esse videtur.

§. V. Cum igitur Plagium & Furtum primo hic in contentionem conflictumque veniant, scire licet, nos hic Plagii nomine non intelligere omnia ejus genera promiscue, sed solum genus illud tertium \* & quartum, \*\* quod superiori capite persecuti sumus. Primum genus enim, \*\*\* quia manifesto Auctoris commoda intercipit, & simul de existimatione ejusdem detrahit; contra controversiam, ceteris paribus, furto flagitious est. Quare nihil opus est operosa comparatione. Idem valet in secundum genus, \*\*\*\* quod primo diximus esse pene æquale. Septimum quia sæpe tantum contra decorum peccat, nullo modo cum furto potest comparari. In tertio autem & quarto genere difficilior erit contentio. In hac igitur operam nostram colloquabimus diligentius, ac primo videbimus, in quibusnam rebus versentur & Plagium & Furtum. Ex iis, quæ supra diximus, scire licet Plagium versari in cogitationibus peculiaribus alteri surreptis & publicatis. Furtum versatur in rebus corporeis, quæ domino invito detrahuntur. \*\*\*\*\* Jam quæriuntur, utrum cogitationes illæ, quas dixi, an res corporeæ præstantiores sint? Si res corporeæ præstant cogitationibus litteris mandatis, furti tur-

pitu-

\* Cap. VI. §. VI.

\*\* Cap. VI. §. VII.

\*\*\* Cap. VI. §. III.

\*\*\*\* Cap. VII. §. V.

\*\*\*\*\* Vid. tamen Gellius Noct. Attic. libr. XI.

pitudo vincet dedecus Plagii, siquidem cetera sint paria. Sin cogitationes litteris commendatae præstent rebus corporeis; tum Plagii turpitudo superabit furti de honestamentum. Quare nunc porto queritur, ad quamnam rem, tanquam cynosuram quandam, dirigere mentem nostram debeamus, in æstimanda rerum corporearum & cogitationum præstantia. Hoc si invenerimus, quæstio nostra faciles explicatus habebit.

§. VI. Ego (si quidem salva veritate possum) præstantiam & corporearum rerum & cogitationum utilitate illa, quam generi humano afferunt, unice hinc metior. Quocirca tanto præstantiores judico res quaslibet, quanto fructuosiores sunt generi humano. Ut autem curate definiamus, quænam res humano generi sint fructuosiores; naturam ejus & statum penitus exploratum perspectumque habeamus oportet.

§. VII. Ad naturam humani generis quod attinet, ea propter mirificam corporis elegantiam & stupendas mentis operationes omnium penne rerum excellentissima videtur. Sed tamen status ejus multo nunc corruptissimus est ac calamitosissimus. Verum cum huic corruptelæ & miseriis mederi queamus, divino favore adjuti: hinc sit, ut status naturæ humanæ vel pravus dicatur vel correctus. Status correctus est vacatio mentis humanæ ab erroribus affectibusque turpibus, & permancio partium corporis solidarum in situ incorrupto, ac fluidarum in æquabili & moderato motu. Hic status oritur & confirmatur

divina gratia & diligentí sapientiæ cultu. Status pravus contra huic plane contrarius est & ex contrariis causis oritur. Quanquam vero status pravus naturæ nostræ maxime sit inimicus & injundus, tamen homines pene omnes habet obnoxios. Nam cum affectus consopire, pacate vivere, cultu victuque moderate uti, vires non nimis debilitare debeant homines: ipsi omnia pervertunt, turbant, solicitant, ad summam (nihil possum fœdius ac pestilentius dicere) cupiditatum suarum servi sunt.\* Quid vero indignius est, quam nientem omnium rerum terrestrium gubernatricem ac dominam impotentibus ac pravis affectibus deservire? quid miserius & acerbius, quam cogitationum turbamentis perpetuo distringi, vexari, affligi?

§. VIII. Ecquamnam vero medelam hisce miseriis afferunt res corporeæ? nullam plane. Divitiæ enim ac copiæ crudelitatem ac solicitudines avari tanto amplificant magis, quanto ipsæ creverunt insignius. Deliciae & medicamentorum frequens usus voluptati deditum infirmant, & magis indies enervant. Opes & res secundæ ambitiosum efferunt, in coniuraciones alliciunt, magnis ac periculosis consiliis implent, tandem ad scelera perpetrandæ compellunt, ut nihil sacrosanctum sit, quin violetur; donec animus obdurescat & malitia quasi occalleat. Liquet itaque opibus ceterisque rebus corporeis, quæ furto sunt obnoxiae, ad tollendas hominum miseras parum momenti inesse.

§. IX.

\* Cicer. Paradox. Stoic. V. Google

§. IX. Cogitationes vel fructuosæ sunt humano generi vel infructuosæ. Et infructuosæ quidem vel difficiles sunt , vel intellectu facile. Comparabimus igitur singulas cum humana natura, ut, quid ad eam corrigendam conducant, appareat. Ita demum emerget, utrum ipsæ rebus corporeis præstent, necne.

§. X. Cogitationes subtile infructuosæ, id est, a vera sapientia remotiores, pravo isti hominum statui nequaquam medentur. Fabulæ & earum subtile interpretationes, \* ænigmata & eorum explicandorum conatus, \*\* versus, omnesque ingenii lusus, \*\*\* Anagrammata puta, picturæ loquentes \*\*\*\* similesque lepores politissima arte conficti, quibus voluptarius diem absunit,

F 3 statum

\* e.g. Junonem' esse spiritum universalem ; factionem reguli stellati esse bellum Typhonis cum diis ; Veterum panem & satyros esse Gas Helmontii &c. Iram Apollinis apud Homerum esse contagionem aëtu solis exortam.

\*\* e.g. illius celebris : Aelia Lelia Crispis nec vir nec mulier, nec androgyna , nec puella, nec juvenis, nec anus, nec casta, nec mere-trix, nec pudica, sed omnia, sublata neque fame neque ferro neque veneno, sed omnibus &c.

\*\*\*\* Argutæ inscriptiones, quas contra morem veterum bodie quidam amant.

\*\*\*\* Ita fortasse licet interpretari id, quod Galli vocant : Rebus de Picardie.

statum illum corrigere non possunt. Vehementer sane dubito, an vel corpore vel animo melior factus sit Judæus , qui mirabile carmen fecit hocce:

**קינה שמר אוֹי מה כְּפֵט אָוֹצֶר כָּו**  
Chi nasce muor, oï me, che pass' acerbo.

**כָּל טֻב עִילּוּם כּוֹסִי אָוֹר דַּין אַל צָלוּ**  
Colto vien l'huom, così ordin' il cielo.

**מָשָׁה מָוֵרִי מָשָׁה יָקָר רְבָר בָּו**  
Mose morì Mose già car de verbo.

**שָׁם תְּוִשְׁרֵה אֵין יוֹם כְּפֹור הַוָּא זֶה לָו :**  
Santo sia ogn' huom, con puro zelo.

**כָּלָה מְוִיטָב יָמִי שָׁן צָרִי אֲשֶׁר בָּו**  
Ch' alla metà, già mai senza riserbo.

**יְחִירֵב אָוּם מָות רָע אֵין כָּאֵן יְרֹפָה לָו :**  
Arriv' huom, ma vedran in cangiar pelo,

**טְפִינָה בָּוּם קָל צָל עֲוֹבָר יְמִינָנוּ :**  
Se fin habiam, ch' al cielo vero ameno,

**הַלּוּם יוֹבָא שְׁבִי וְשֵׁי שְׁמָנוּ :**  
Va l'huomo và se viva assai, se meno.

Huic carmini quanquam fortassis nihil par aut secundum reperiatur, quia iisdem verbis Hebraicum & Italicum sensum fundit; tamen tanta non est excellentia, ut rebus corporeis præferri possit.\* Linguarum subtilior & supervacanea consideratio,

\* Vid. Wagenseilius in Comment. ad tractatum Talmud. Sota, cap. I. n. 6. p. 196. edit. Surenburs.

tio, \* notitia plerarumque inscriptionum, \*\* antiquitates \*\*\* & historiolæ quædam \*\*\*\*, Geomantia & Astrologia defensiones vaferimæ, similesque artes solivagæ augent miserias Melancholicorum, non auferunt. Acria judicia & novarum opinionum ostentatio, \*\*\*\*\* quibus Cholericus admirationem sui doctis hominibus injicere conatur, ejus miserias non levant. Quare hujusmodi rerum inventio possessioni divitiarum aut abundantia pretiosarum dapum præferenda non est. Ergo nec plagium hujus generis rerum turpius furto esse potest.

§. XI. Evidem novi a nonnullis subtilest quæstiones & rara poëtarum commenta majoris

F 4 æsti-

\* v.g. an Hercules ceterique Dii ex lingua Scythica, veterive Germanica nominati sint, subtilis questio est & inutilis. Item, an Frons à foratu &c.

\*\* quarum infinita multitudo a Grutero aliisque collecta est.

\*\*\* v.g. quid fuerit בית השליחים, cuius mention fit in Mischna de Anno septimo cap. II. n. 2. item. quomodo poculis vaticinati sint Veteres, &c.

\*\*\*\* e.g. Quæmater Hecuba fuerit? quod Achiri nomen inter virgines? quid Sirenes cantare sint solite? & aliae hujus generis quæstiones, quibus Tiberius maxime delectabatur. Sueton. in vita Tiber. c. 70.

\*\*\*\*\* e.g. illa R. Simonii de scribis Veteris Testamenti, de versione LXX.

estimari, quam res quaslibet: sed dubito, an iis ratio constet. Corporeas res ajunt omnibus obvenire, qui corporis firmitate, industria, parsimonia aut aliquo ingenio valeant: inventiones & solutiones lepidarum illarum, quas dixi, quæstionum paucis atque eximijs ingenijs obtinere, semper autem ea, quæ paucis eximijsque ingenijs obtingunt, iis præstare, quæ plerisque communiter obveniunt. Sed argumentum hoc subtilius est, quam verius. Nam multa Scholasticorum inventa dicam, an commenta? insignia sunt admodum & acuta, quæ a mediocribus ingenijs vix intelligantur, nedum configantur: sed quis est nunc paulo sapientior, quin omni Scholasticorum acuminis unam agri cœlendi scientiam longe anteponat? Hæc enim humano generi prodest; sed acumen illud sèpissime infructuosum, \* sèpe ridiculum, \*\* sèpe impium est \*\*\* & calamitosum. Quare vero acumina inutilia magni faciamus propter paucitatem eorum, qui ista procreant, non intelligo; cum præsertim ceteras artes omnes mirabiliores quam fructuosiores severissime contemnamus. Recte vir quidam prudens artem

ho-

\* e.g. abstractio negativa & practiciva. An existentia sit ens, nec ne.

\*\* e.g. necessitas exigentia & expedientia. Quantitas nulla est efficacia.

\*\*\* e.g. an Deus potuerit humanum genus per cucurbitam salvare? & quomodo cucurbita illa potuerit divina mysteria predicare &c.

hominis, granum milii per foramen acus sine errore trajicientis , grano milii dignam censuit.\* Ego semper, inquit Richerius, magni Alexandrijus dicum & præmium valde laudabo , qui hominem solo oris balitu, cicera minutissima, ex magno inter- vallo, in acum certissime infigentem, cicerum modio donari voluit ; quo se ille nugator, in tam ludicra artis fatuitate, diutius exercebat.\*\* Quis oleum & operam perdidisse neget Loerium, qui in Homeri versu quodam \*\*\*.

*Σὸν δ' ἐπωτὶς ἔχει καλὸν γέρας, οὐλὰς ἐκηλῶ patriam & nomen suum invenit.*

Pétrus Loerius, Andinus, Gallus, Huilla.

Petrus Loerius, Andinus, Gallus, Huilla.\*\*\*\*  
Concludo itaque, & eum, qui in subtilibus cogitationibus præstantissimam doctrinæ laudem ponit, præjudicata opinione falli assevero.

§. XII. Neque inventio rerum illarum, quæ facile intelligi possunt, sed ad actionem vitamque hominum nihil conducunt, rebus corporeis præstant ; quia & ipsæ pravum hominis statum com-

F 5 mutare

\* Montagn. dans les *Essais*.

\*\* Richerius in *Obstetr. Anim. cap. II. n. 3. pag.*

22. edit. Rechenb. *Quintil. libr. II. Instit.*

*Orat. c. 21.*

\*\*\* *Odyss. A. V. 183.*

\*\*\*\* *Vid. Petrum Petitum libr. III. de Sibyll. c. X.*

*pag. 350. Plura talium apinarum exempla habet Erasmus in Moria & Valefius passim.*

*Vide hunc pag. 50. in Valefian.*

mutare non possunt.\* Forte & hanc sententiam quidam improbabunt, quandoquidem rerum ignorantiorum speculatio multum jucunditatis habet. Sed haec jucunditas errori non debet esse praesidio. Necesse est itaque, ut cum expendamus ac refutemus. Refutabimus autem faciliori negotio, si etiam originem ejus cognoverimus. Quare primum originem ejus pervestigabimus, deinde sanam rationem ei repugnare demonstrabimus.

§. XIII. Originem dicit error iste ex Chaldaea, otiosis astrorum vanarumque rerum contemplationibus dedita. Haec ineptiae postmodum a Græcis interpolatae, auctæ & in pretio habitæ sunt. Tum a Romanis coepitæ sunt diligi, qui sensim eas latius diffuderunt, ut jam terrarum orbem impleverint.

§. XIV. Sed vero sana ratio nos docet, tantam esse bonarum rerum copiam, tantamque officiorum omnis generis necessitatem, ut, qui ea discere velint, (omnes autem velle debent) vanis contemplationibus vacare non possint. Ignorantia bonarum rerum misere vexat mortales: affectuum vehementia turpiter affigit mortales. Malum igitur & turpe est, ignorantiae isti & affectibus non mederi. Exemplo quodam ignorantiae & affectuum vim demonstrare juvat: „In terra Bononiensi duo jacent oppida, quorum alterum Imola nominatur, alterum Brisigella.

\* e.g. Participia illa Caramuelis: Amorens,  
Amavissens; lingua aphilosophica &c.

gella. Hæc cum finitimasint, sæpe inter se acriter contendenterunt. Brisigellani ira incensis cum, in Missa hæc verba cantari audiissent: *Qui immolatus est pro nobis*, crederentque de Imolanis, qui tum ipsorum hostes erant, sermonem esse; verba ista e Missa tollenda censuerunt, substitutis hisce: *Qui Brisigellatus est pro nobis*. Vide, quid affectus & ignorantia efficiant?\* Ad, dam aliud exemplum, non minus lepidum. ANNON fuit quidam, qui captas aves canere doceret: *Annon est Deus*. Sed aves cum in libertatem essent emisse, cantilenæ suæ statim obliviscebantur.\*\* Vide igitur, quanta superbia fuerit Annon! Deus esse voluit, &, ut ubique terrarum & gentium pro tali haberetur, divinitatis suæ prædicationem aves docuit. Procul dubio speravit Annon, fore ut cantilena ista misellis avibus inveteraret, & in omne posterum tempus permaneret. In quo quidem turpiter erravit, ignorantia naturæ avium, quæ ad diuturnum præconium tardam nocte sunt & imbecillem naturam. Nam quid de Poliarcho dicam? qui canes & gallos, quos dilexerat vivos, mortuos publice efferrabat, elatos epitaphiis honorabat, amicis ad funus ducendum convocatis.\*\*\* Adeo usum amicitiae ignorabat, & turpissimo luctu indulgebat Poliarchus! Possent plura produci exempla ex Eli-

\* Nandean p. 72.

\*\* Aelian. *Histor. Var. libr. XIV. cap. 30.*\*\*\* Idem *libr. VIII. cap. IV.*

Elinacino, \* Aeliano, \*\* Baglivio \*\*\* aliisque, sares non eget exemplis, quibus orbis terræ & vita communis plenissima est.

§. XV. Nos novimus, optimam honestissimamque rem esse veram & germanam sapientiam. Versatur autem sapientia in usu rerum quæ ad vitam bene & beate degendam pertinent. Eas res usumque earum rerum Physica docet, & Matheſis, & Philosophia moralis, & Theologia. Physica quidem vitam & sanitatem tuetur ac conservat. Matheſis commoditates vitæ continet. Ethica humanam societatem confirmat ac tuetur, debellatis libidinibus, constitutisque bonis legibus. Theologia denique beatissimos nos efficit, etiam in maximis adversitatibus, & ipsa morte. Apparet igitur, sapientiam pravo hominis statu subvenire, correctoque robori esse & ornamento, atque iccirco sapientia neminem carere posse aut debere. Apparet illud etiam, sine sapientia res omnes noxias esse & calamitosas; quid enim homini avaro, voluptario & honorum cupido prosperum fit & salutare. Quamobrem nihil est uspiam bonum & jucundum, praeter sapientiam. Una vero sapientia omnium bonarum rerum est excellentissima.

### §. XVI.

\* *Histor. Saracen.* libr. I. c. 14. p. 74. & c. 16. p.

79. & libr. II. c. 12.

\*\* *Hist. Var. libr. IX.* c. 39. & *libr. II.* c. 21.

\*\*\* *Prax. Medic. libr. I.* c. XIV. p. 129. seqq. ed.

*Lugd. Bat.*

¶. XVI. Ergo in sapientia summa cuiusvis hominis laus consistit. Et qui in scientiis, ad veram sapientiam spectantibus, præclarū quid inventit; is Dei consilia & instituta resciscere judicandus est. Qui vero inventa hujusmodi bene & sapienter proponit atque explicat; is consilia & bonitatem Dei communicare censendus est. Qui denique inventa hujusmodi novit, docet, auget & ad usum crebro transfert, is, pro modo humanae imbecillitatis, (absit invidia!) Deo similimus est habendus. Unus itaque Ruyschius, cuius studium in rebus naturalibus conquirendis, considerandis, utendis hodie maxime excellit, & cuius mores facilimos optimosque non peregrini solum, sed Amstelodamenses ipsi prædicant, omnipene physicorum sapientumque veterum multitudini est anteponendus. Ecquid vero jucundius fingi potest vita illius hominis, qui in natura rerum contemplanda tempus consumit? ecquid reipublicæ utilius esse potest homine, qui afflictos miserosque juvat & consolatur? Ecquid beatius cogitari potest homine, qui & suas libides pro virili domat, & alienas sapienter coercet? Ecquid excellentius dici potest homine, qui consilia, voluntatem, & naturam Dei bene cognoscit. At vero (sine Rhetorum fuso loquimur) quid de ejusmodi homine sentiemus, qui hæc studia & officia conjungit? Annon eum singulariter amare debemus & observare? Procul dubio boni omnes ita

ita judicabunt. Vident enim, quanti generis humani referat, mortales omnes libidinibus imperare, omnes Deum cognoscere & amare, omnes operum divinorum studiosos esse, omnes miseriis cum suis tum alienis subvenire.

§. XVII. Ergo hæc nunc in summam contrahamus, ut Plagiariorum, qui sapientiæ laudem aucupantur, turpitudo noscitetur. Sapientia primarium hominis bonum est, neque tam aut ipsis sapientibus, aut sapientum adjuvento indigentibus, cumulate prodest, nisi in luce & honore versetur. Igitur opinio sapientiæ, secundum ipsam sapientiam, maximis hominum bonis est annumeranda. Et quia per opinionem sapientiæ sit, ut pravus multorum hominum status corrigatur, correctus ornetur & constabiliatur: haud dubie opinio sapientiæ longe præstat ipsa quoque pecuniis. Nam pecuniæ omnesque res ceteræ furto obnoxiae sine sapientia plus detrimenti afferunt, quam emolumenti; ut non solum ex libris sacris, sed etiam ex ratione & vita communi discimus. Si autem opinio sapientiæ pecuniis est præferenda: privatio illius opinionis, id est, plagium furto turpius erit & fœdius. Præsertim cum ii, qui ad hujusmodi Plagiarium aut discendi causa aut consilii petendi confluant, magnam plerumque jacturam faciant tum impensarum, tum temporis, atque ita sero demum intelligent, quantam calamitatem inferat humano generi Plagiarius, qui veræ solidæque sapientiæ possessionem falso venditat. Si

cum plagio non esset impostura conjuncta, facilius ferri posset ejus turpitudo, quia minus nocebet: sed nunc, cum impostura non possit ab eo separari, nullo modo potest excusari. Hujus rei similitudinem capere licet a mercatoribus. Si quis mercator improbus probi cujusdam & justi mercatoris famam in se transferret, maxima illum quidem injuria afficeret, quod lucrum illius intereiperet, sed tamen si merces easdem eodemque pretio & fide venderet, utcunque ferri posset. Improbos enim multos multi ferre debent, quamvis nolint. At si improbus iste nec easdem merces nec æquo pretio venderet, cum emtores semel invitasset illectassetque; sine dubio tanquam pestis humani generis communi omnium bonorum odio dignissimus esset. Etenim emtoribus turpiter imponeret, & bono illi mercatori præripere occasionem bene merendi & proficiendi. Quod facinus utrumque scelesti est & impuri hominis. Sed inter scelestum hunc mercatorem & Plagiarium illum, quem nos hic volumus, quid interest? annon Plagiarius tam obest viro sapienti & sapientiae cupidis, quam scelestus ille mercatori probo & honesto? Evidem sic sentio, nec video, quid hæc sententia possit habere vitii. Nisi si forte fingere velis plagiarium, qui nec fide, nec doctrina, nec industria cederet ei, cuius est Plagiarius. Quales andentur, non liquet. Sed si dantur, sat in eo ipso criminis est, quod a viro sapiente famam, quæ, secundum sapientiam, præstan-

stantissimum hominis bonum est, alienet aut faltem alienare conetur.

§. XVIII. Atque hæc quidem de cogitationum rerumque corporearum comparatione, pro instituti nostri modo, dicta sufficient. Jam personas, quibus fures & Plagiarii nocent, comparabimus inter se se.

§. XIX. II. De Personarum, quæ Plagio ladduntur, statu & præstantia varia momenta sunt ponderanda. Sunt enim, ut ex dictis dudum apparet, vel sapientes, vel nugivenduli & argutatores umbratiles, vel medii quasi generis. Utique illi superiores, (nam medios hosce prætermittimus) vel vivi sunt adhuc vel mortui, & vel sortis inferioris, vel honorati &c. Huc fere solent respicere Plagiarii inter exscribendum. Quare merito in æstimanda Plagii turpitudine hæc quoque spectari debent. Fures vero nihil spectare videntur, nisi utrum dives an pauper sit is, cui resquasdam detrahunt; utrum honoratus an conditionis infimæ.

§. XX. Sapientes appellamus hic eos, qui mores emendatos, & bonarum rerum naturam perspectam habent & exploratam. Hi tales rato scribunt, aut, si qua eos scribere oportet, pauca edunt. Edunt autem cum propter utilitates humani generis, tum propter calumniatores. Nunquam enim sapientes viri calumniatoribus carent, quos scriptis reprehendant & confutent. Non igitur cogitata sua litteris mandant & cum eruditis viris publice communicant, ut gloriam-

con-

consequantur, sed ut famæ suæ apud ignotos consulant, & utiles simul sint aliis. Omnia cetera quin ad conscientiam, nihil ad famam & applaudum referunt. Quare Plagiarios facile ferunt & moderate, neque de illorum improbo usu rerum alienarum unquam acerbe stomachantur; dolent potius & reprehendunt simpliciter Plagiariorum insolitatem. In sapientem igitur vere convertit illud Bruyerii: \* *Philosophus, inquietis, et atem suam hominum moribus observans impertitur, & ad eos viciorum turpitudine & ineptiis liberandos ingenuo suo utitur.* - - Qui-dam lectores cumulate gratiam ei se referre putant, si confidenter asseverent, librum ejus a se simul letatum & probatam esse. Is vero ipsius praeconia ista reddit omnia, quippe que vigiliis ac labore suo non est aucupatus: majus quid & excellentius assequi laborat: postulat ab hominibus rem maiorem & ratiorem laudibus & praemio, eorum emendationem. \*\* Itaque sapiens amicos suos, qui Plagiaro ipsius foedum stigma inusturi essent, fortassis sic compellaret: Ingratiis meis hominem notabitis: famam non expetivimus, cur ergo illum nobis nunc creptam uiciscemur. Sinite, ve-

G

ritas

\* *Des Maurs de ce siecle p. 77. add. Bacanis de Verulam. Augment. Scient. VIII. c. 3. p. 229. edit. Londin. 1638.*

\*\* *Illustre hujus scapi exemplum prebet Laurentius de Opific. Dei cap. XX. S. 8. 9. pag. 657.*

sitas nostra amplificetur & scriptis vulgetur, etiam alieno nomine.

§. XXI. Etsi vero sapiens a Plagiario se haud læsum existimet, ab hoc tamen graviter peccatum est. Nam præterquam quod summam hominis laudem injustissime stolidissimeque aucupatur, probitatis etiam & veritatis incremento obstat Plagiarius; ut prædiximus modo.\* Si enim sapienti viro laudem tribueret inventionis publice utilis; appareret tandem, a nemine nisi a sapiente viro novas ac salutares res inveniri posse, atque iccirco necesse esse, ut qui similem laudem consequi vult, is & moribus corrigendis operam navet & bonis rebus intelligendis. Nam hæc duo, ut diximus, \*\* sapientem virum constituunt. Cum autem sapiens injuria indignissimus sit, & per illam injuriam veritatis probitatisque incremento obsistatur: sequitur Plagiarium, qui sapienti injuriam affert, fure gravius peccare. Fur enim tantum modo alienis commodis nocet, non probitati. Commoda autem minus valent, quam probitas. Quare & furtum non tam turpe est, quam hujusmodi plagium.

§. XXII. Argutatores umbraticos appellamus, qui insigni gaudent variarum rerum argutarumque apinarum notitia, affectibus ceteroqui suis omnino dediti. Horum plagiarii etiam turpiore se obstringunt scelere, quam fures. Vix enim credibile est, Argutatores illos ullo furto tam exulcerari & ad vindictam exardescere possent,

\* §. XVII.

\*\* §. XX.

fe, quam Plagio. Si igitur Argutatores plagio magis exasperantur, quam furto; non licet dubitare, quin hoc respectu Plagium furto fœdius sit & flagitiosius. Quodsi quæras, cur ego existimem, hos argutatores inventa sua omnibus opibus pecuniisque præferre; scire licet, me id suspicari ex eo, quod scripturas institutionemque suam nullis præmiis compensari posse putent. Illa enim communis est eorum sententia, honorarium præceptoribus quibuscunque solvi posse; remunerationem institutionis esse nullam posse. Adhæc pretium affectionis multo magis cadit in scripturas & inventa litteris mandata, quam in tes ulla alias. Nulla enim res perpetuitate gaudet, quin ultimo tempore vetustate corrupta pereat: libri soli ab interitu vindicant auctorum merita & præsertim memoriam, propter quam solem multi mortalitatem credunt esse consolabilem & contemnendam. Mirum igitur non est, scripta majoris æstimari a nonnullis, quam pecunias.

S. XXIII. Hæc, quæ diximus, potissimum pertinent ad sapientes & argutatores vivos. Quum vero adversus vivos gravius peccent Plagiarii, quam fures; dubii nihil est, quin adversus mortuos etiam gravius peccent. Fures enim mortuis nihil possunt detrahere, ergo nec peccare. Plagiarii contra mortuis scriptoribus existimationem detrahere utique possunt. Per multi enim eruditorum per omnem vitam aut saltem per longissimum tempus lucubrationibus indu-

gent, ut aliquid relinquant, quo se vixisse testentur; presumuntque libros suos, ut ultimo tempore quam limatissimi politissimique in lucem prodeant. Verum saepissime iis usu venit, ut mors non solum ipsorum retractionem & ultimam limam prævertat, sed etiam prohibeat, ne amicorum fidei lima illa commendetur. Contigit quidem hæc felicitas Sanforo, interpretationum Scripturæ sacrae novatori, \* qui jamjam expiratus librum suum *de descensu Christi ad inferos* Parkero perficiendum tradere potuit: \*\* Contigit etiam Thomæ Brunoni, Canonico Windsoriensi, qui scripta sua Vossio amico paulo ante mortem tradidit; qui Vossius tamen, præter dissertationem *de Therapeutis Philonis a Colomesio editam*, nihil eorum edere potuit: Contigit item Picardo & Petro de Marca; illius enim libellum quendam publicavit *de la Hire*; hujus scripta Baluzium nacta sunt tutorem & commendatorem; ut alios paucos taceam. Sed alii multis eadem felicitas non contigit. Auctori certe *Juris Ecclesiastici* tam felici esse non licuit, ut liber ipsius suo nomine insignitus ederetur; nam nunc Augustini Bárbosæ nomen gerit. \*\*\* Isaaci Vossii versio Bibliorum LXX Interpp. in cuius manus pervenerit, posteaquam ejus

\* *Hic est ille, quem Witius notat Oecon. fæder.*

*Dei libr. I. c. V. §. 4. p. m. 46.*

\*\* *Vid. Parkeri prefation. ad librum, quem dixi.*

\*\*\* *Historia hujus Plagii narratur ab Erythrao Pinacoth. II. n. 18.*

ejus MSSta dissipata sunt, ignoratur, nisi fallor, adhuc. Lightfooti tabula Geographica Judææ desideratur, nec unquam fortassis reperietur. Ulsterrici Scripta quædam etiam perierunt, nec forte ejus nomine insignientur, si maxime edantur. Bocharti scripta quædam *de situ paradisi terrestris* Morino sunt detracta, nec unquam reddita. Quid de Ernesti Gluckii, Praepositi Livonici, versione Moschica bibliorum factum sit, recentior est memoria. An ea unquam Auctori restituantur, aut saltem tribuatur, si quando edi coeperit, dubium est profecto. Plura infelicitatis hujusmodi exempla narrare, nihil attinet.

§. XXIV. Denique utrum honoratus vir, an homo contemptus plagio lædatur, considerandum est in Plagii & furti comparatione. Quanquam enim furti turpitudo saepe major non sit, cum honorato viro aliquid detrahitur, quam cum plebeio quid eripitur: tamen plagiū omnino saepe flagitosus evadit, cum existimatio viri honorati læditur. Officium enim omnium nostrum erga eos, qui eruditionem præclaram sibi pararunt, & egregiæ spartæ præsunt, postulat, ut eorum auctoritas major indies & augustior fiat. Fit autem ea major & augustior, cum iis novarum inventionum, quæ ipsis revera debentur, laudem assignamus: Ita enim illi & spartam suam præclare ornare & honore dignissimi judicabuntur. Quin etiam tanto diligentius inventionum laudem asstribuere debemus, quanto majus plerumque pondus habet veritas, quæ magnum virum auctorem

habet. Ita enim natura comparatum est, ut honoratis gravibusque viris facilius & lubentius adfentiamur, quam contemptis & vilibus. Quanquam enim novitas per se gratissima est, tamen gratior multo fit, cum ab honorato magnoque doctore profecta esse dicitur.

§. XXV. Sin contemptus & exiguae fortis est novae veritatis inventor; tum forte pariter peccat Plagiarius ejus, ac fur qui tenuissimæ fortis homini res suas raperet, quibus prorsus carere non possit. Licet enim auctor quidam nulla sit auctoritate, quæ novæ veritati novoque libro gratiam coneiliet; tamen sapientes viri ea diligent & magni facient, quippe qui libros, præsertim utiles, non auctoris honoribus, sed accusatione metiuntur. Et quoniam frequenter vel una novæ veritatis inventio unusve liber satis causæ est, quamobrem ex umbra in lucem provehatur \* aut certe commoda quædam consequatur ignobilis auctor: patet utique, Plagiarium inventori illi aut libri auctori & ad honorem & ad commoda consequenda viam intercludere. Quod peccatum insigne est & prorsus execrabile. Adhæc quia sæpe non facile prodi & accusari possunt plagiarii, qui obscurorum hominum scripta explicant: siccirco multo certe turpius peccant. Adducunt enim viros eruditos, ut credant, plagiarios

\* Notum est exemplum Drobbeii, & ex actis Philosoph. Anglicanis mens. Sept. 1668. pag. 317; Roberti Andersoni, aliorumque aliunde.

rios ipsos veros autores esse. Qui error saepe viris doctis nunquam potest eximi. Unde simul veritas historiae litterariæ periclitatur, quæ, propter summam utilitatem, quam maxima salva & in columnis optanda est. Aliter utilis esse definit.

§. XXVI. III. Plagiarii ipsi, pro statu suo, actionem suam multis modis de honestant, uti fures. Quocirea citra controversiam Plagiarius, insigni munere conspicuus, gravius peccat, quam qui nullo fungitur. In quo quidem parem sibi habet furem honesto loco natum, vel honesto munere condecoratum. Verissimum est enim illud Poetæ:

Omne animi vitium tanto conspectius in se  
Crimen habet, quanto major, qui peccat, ha-  
betur.

Ratio est, quia officium hominum insigni mune-  
re fungentium postulat, ut aliis, praesertim infe-  
rioribus, præclaræ virtutis exemplum præbeant.  
Nam eam ipsam ob causam a Deo & hominibus  
muneri præficiuntur. Quisquis autem Dei &  
honestorum hominum voluntatem fallit, graviter  
peccat.

§. XXVII. Quo excellentiore ingenio &  
actiori judicio prædictus est Plagiarius, eo tur-  
pis agit, cum aliena scripta sibi tribuit. In quo  
perquam ei similis est fur opulentus, qui, ceteris  
paribus, longe fœdiore se obstringit facinore,  
quam fur pauperculus. Contra furi pauperculo

potest æquiperari Plagiarius, qui vel nullo vel saltē exiguo prædictus est ingenio.

§. XXVIII. Illud quoque hic observandum est, utrum plagiarius senex sit, an juvenis. Secundum enim vitia tanto minus excusari possunt, quanto ad emendandos mores plus temporis adhibere potuerunt. Furum par est ratio. Quanquam enim senectus ad rem parandam attentior esse soleat; tamen a furro longissime abesse & abhorrire debet senectus.

§. XXIX. Malitia denique Plagiiorum sepe auget Plagii turpitudinem, uti furu[m]a versutia & temeritas. Quare quo diligentius occultatur Plagium, hoc pejus est & dishonestius. Culpa enim, quæ latet & ignoratur, non facile coarguitur; quæ non coarguitur, ea nec ipsi peccanti recte innotescit, nec illis quibus imponitur. Peccans igitur ad sanitatem & frugem reduci nequit, & ii, quibus imponitur, errore non possunt liberari. Par ratio, si quidem cetera sint paria, est furum, qui scelus suum studiose celant & contengunt.

§. XXX. Quo crebrius est Plagium, eo major est ejus indignitas & dishonestamentum. Idem judicium in furto crebriore locum habet; si quidem cetera sint paria.

§. XXXI. Si fide amicitiae interposita, librum quendam, cum veri auctoris nomine, te editurum promiseris, sed eum postea tuo ipsius nomine perfide edideris: haud dubie plagi vitiositatem auxeris. Fures illi, qui honestatem præferunt,

ferunt, ut sub illa specie tutius furentur, plagiariis hisce valde sunt consimiles.

¶ XXXII. Cum certo constat, inventorem auctoremque diu laborasse multumque argenti profudisse, antequam & inveniret quod quæreret, & conscriberet, quod invenisset; certe plagiī culpa fit insignior. Quāquam enim res illæ, quæ multa impensa multoque sudore quæruntur, sāpe non præstent his, quæ nec opinato & gratis sese nobis offerunt; tamen inventor, qui multa cura multaque impensa famam quæsivit, laudis expetitæ jactura indignior videtur, quam is, cui casus aut fortuna laudis materiam quādam præbuit; si præsertim propterea multo cum sumtu laboraverit, ut invento quodam emolumētis & commoditatibus humani generis deserviret. Huic tali malitiæ Plagiriorum respondet illa furum improbitas, qua homini laborioso & minus fortunato res suæ detrahuntur. Et enim & hic, ceteris paribus, furto minus dignus est, quam quivis eorum, quos fortuna temere quasi loeupletavit.

¶ XXXIII. Illud quoque observandum est, utrum Plagiarius inventa ejusmodi pro suis edat, quæ ad illam ipsam artem, quam profitetur, pertinent; an talia, quæ ad eam non pertinent. Et enim qui etiam in artibus sibi ignotis excellere vult videri, (præsertim enim iij, qui excellunt, novis ac præclaris rebus augere possunt scientias) tam vecordi arrogantia videtur esse, ut acerbissima ignominia dignus sit. Ceteri, eti & ipsi sa-

tis inhoneste agunt; paulo tamen honestius age-re videntur. Etenim illam ob causam peccare videntur, ut munere suo digni judicentur. Quæ quidem species & scopus ferri utcunque & con-coqui potest. Hisce ultimis plagiariis, ceteris paribus, exæquari possunt fures propter ratio-nem status peccantes: superioribus vero fures ik-ili, qui nulla necessitate coacti, per fas & nefas o-mnia corradunt.

§. XXXIV. Sed vero quis est, qui omnia fraudum genera, quæ hic accidere possunt & so-lent, curate persequi possit. Nimis late patet malitia. Neque si eam copiose persequaris, rem valde utilēm & salutarem egeris. Etenim mali-tiæ generibus patefactis, periculum est, ne frau-des evadant usitatores. Atque ita, pro institu-ti nostri modo, satis, ni fallor, ostensa est & plagi vitiositas, & furti cum plagio convenientia, & res ex, quæ vitiositatem utriusque, tanquam ponde-ra quædam, degravant.

§. XXXV. Jam, pro instituti nostri lege, Plagium cum calumnia contendemus. Sed quia nimis prolixa foret hæc commentatio nostra, si hic etiam tam prolixe versari velimus: præcipua solum comparationis capita proferemus, reliqua sapientis lectoris diligentiaæ relinquemus investi-ganda & consideranda.

§. XXXVI. Est autem calumnia ex ficto commentitioque criminis infamatio. Illa nimi-riū hominum quorundam indoles est, ut, qui libinet ipsi nullam infamiz notam inurant, eos

injustis criminationibus infamare & perdere contentur. Apparet igitur, gravissimis vitiis annumerandam esse calumniam. Quid est enim pestilenterius, quam ianocentiae falso fictoque criminis perniciem parare. Sane enim, si quicquam salutare & jucundum esse potest; honesta præclarorum facinorum conscientia est. Ab hac autem si discesseris, bona fama & existimatio principem inter humana bona locum habet. Quamobrem a Judæis regno præfertur. *Rabbi Simeon,* inquiunt, \* dixit: *Tres sunt corona, corona legis, corona sacerdotii & corona regni. At corona boni nominis ceteras coronas superat.*

§. XXXVII. Quæritur itaque non injuria, an Plagium minus flagitiosum sit, quam calumnia? an forte majus? an par? At hæc quæstio non est difficilis. Verum est enim, sæpe Plagium calumniæ non posse adæquari, sæpe posse. Pro varietate scilicet ipsius Plagii, variat etiam ipsa Plagii culpa. Pariter pro calumniæ varictate, variat calumniæ culpa.

§. XXXVIII. Plagii varietatem supra proposuimus. Calumniæ duo præfertim genera sunt; Alterum est, cum violatur illa hominis existimatio, quæ ex vera & germana virtute parta est; alterum, cum existimatio violatur, quæ vera & germana virtute non nititur, sed ficta & opinata. Superioris generis exemplum est, cum adulterii accusatur, cui nunquam in mente venit

\* *Vid. Capitul. Patrum cap. IV. n. 13.*

venit adulterium; quod Josepho usū venit.\* Posterioris generis exemplum est, cum Socrates ille accusaretur temeratæ religionis Atheniensium. Imitatio enim sacrōrum, quæ Athenis tum colebantur, non erat solida & vera virtus, sed opinata solum & commentitia. Sibi videlicet impestitus vulgus persuadebat, nefas esse, ut præter usitata numina novum & inusitatum in civitatem induceretur; quale esse putabatur ab aliquibus Dæmon ille Socratis. Apologia tamen Platonis magis deorum omnium contentionem a Socrate removere videtur.\*\*

§. XXXIX. Cum calumnia prioris generis comparatur merito Plagium primi generis; \*\*\* quod videlicet committitur in scriptum, de vera sapientia verissimis cogitationibus refertum. Ad eo suā omnia in utroque paria! Pariter lēditur existimatio, pariter utrinque res p̄eclaræ sunt, pariter utrinque imponitur. Sed quia eventus calumniae seu in accusatore, seu in accusato tristior s̄epe & funestior est, quām Plagii: ideo calumnia s̄epe plagio est turpior. Cum calumnia posterioris generis comparari recte potest Plagium secundi \*\*\* & quarti generis; \*\*\*\* quod videlicet in scriptum est commissum veræ sapientiae nihil habens aut admodum parum. Eadem utrinque lēditur existimatio: cædem utrinque

\* Gen. XXXIX.

\*\* pag. 362. seqq.

\*\*\* supr. c. VI. §. 3.

\*\*\*\* supr. c. VI. §. 4. et 5. et 6. et 7.

\*\*\*\*\* supr. c. VI. §. 6.

res sunt. Eventus s<sup>e</sup>pe diversus calumniam tristiorē efficit & foediorem, quam plagium. Modus etiam l<sup>a</sup>esionis s<sup>e</sup>pe, aut fere semper, diversus est. Quod enim Plagiarius fere nulla magis re, quam silentio significat; id calumniator ut plurimum aperte & audacter affirmat vel negat. Sed de modis calumniandi plura sunt dicenda.

§. XL. Modi calumniandi sunt longe plurimi, duo tamen cum primis h<sup>i</sup>c sunt notabiles: Unus cum accusatio prorsus commentitia est, nec ulla veri specie honestatur. Alter cum dictum factumve per se innoxium quadam veri specie, tanquam fugo, oblitinitur. Mirum ultimi generis exemplum ex Actis Eruditorum didici. \* Summam ejus breviter apponam. Matthaeus de Castro, natione Indus, a Pontifice Rom. in Indianum cum episcopi titulo missus, apud Regem Lusitaniarum delatus est tanquam Semipaganus, qui parva *idola* secum ferret, & ex templis *boum* stabula faceret. Si quæras, unde calumnia h<sup>a</sup>c nata fit, seire licet, eam inde ortam esse, quod Episcopus ille nūmos quosdam, qui *Idola* nominabantur, secum habebat, & homines bajulando victimum quārentes, quā per jocum s<sup>e</sup>pe *boves* appellantur, comites traheret.

§. XLI. Similem fureum etiam Plagiariis supeditare, non mirum est in tanta Plagii ac calumniae convenientia & similitudine. Non defunt Plagiariis rationes, quibus per suadeant imprudentioribus, a se omnino profectas esse scripturas, quas

quas suo nomine insignitas ediderunt. Pauci fortasse plagiarii sunt tam infelice ingenio , ut nullam plane rationem comminisci queant , quae se tueantur & defendant. Quocirca Plagiarii saepe , cum aliquid invenerunt, continuo omnia, quae tradunt , invenisse videri volunt ; cum verba quædam posuerunt ambigua & obscura , tum arcana quædam a se præsignificata fuisse contendunt ; quasi inventa noluerint statim & aperte profiteri. Sed de variis modis, quibus vitium suum honestare conantur Plagiarii, erit nobis postea dicendum.

§. XLII. Aggrediendum nunc esset ad Plagii & criminis Falsi comparationem : sed hic nihil est, quod agamus ; cum plagium , præsertim gravius illud, Falsum quoddam sit, & tam acerbe vindicari debeat, quam falsa quædam graviora. Posset equidem certum quoddam falsi genus deligi, quod cum Plagio quondam graviore compararetur : sed hoc quivis per se conari poterit, etiamsi nos id non faciamus. Etenim fontes, unde bona comparatio promanare solet, supra aperuimus. Ex iis igitur iudicio arbitrioque suo quisque, quantum quoque modo videbitur, hauriet.

§. XLIII. Esset etiam Plagium illud , quod decoro adversari diximus , cum alio quodam indecoro facinore conferendum: sed id fieri vix patitur angustia terminorum, quibus nos ipsi circumscripsimus. Jam enim caput hoc ita crevit, ut, si fieri posset, rescindere mallemus, quam addere. Nique vero nobis suspicari licet , quemquam fore lectorum

ctorum nostrorum, qui plagium cum quovis alio facinore indecoro comparare nequeat. Cum enim hic etiam quatuor illa momenta valeant, quibus supra ad plagium & furtum ponderandum usi sumus; ut consideretur, quanta sit decori præstantia; qui personarum, & lædentium, & læsarum, status; qui denique læsionis modi: non licet ullo pacto de felici judicio dubitare, si conatus accedat & solertia, tanquam dux in locis impeditis & obscuris.

§. XLIV. Multa quidem in hujusmodi comparationem concurrunt, quæ difficiles habent explicatus: sed nihil est, quod superari non possit diligentia. Et multo quidem hic facilior erit historicorum ratio, quam Philosophorum. Historici enim omnem rationem eorum temporum, quibus Plagiarius decrum neglexit, intuentur aut saltem intueri possunt & debent, atque ita decori violationem multo clarissime definire valent. Philosophi contra, quia decorum generatim contemplantur, cum plurimis difficultatibus contentur, necesse est; propter multitudinem rerum, quæ in generibus quasi fasce continentur, & ab intellectu commode perlustrari non possunt. Quemadmodum enim is, qui multas picturas ex uno intuitu judicare debet, difficilius verum fert judicium, quam qui singulas considerat: ita philosophus majori cum molestia præcepta sua proponit, quam historicus. Alter enim multa simul, alter singula sigillata contemplatur.

§. XLV. Si qui vero sint, qui vitia omnino negent

negent exacte comparari posse: ii me nunquam adsentientem habebunt. Nam & eos, qui unquam fuerunt, judices injustitiae accusant, & sibi ipsi nequaquam consentiunt. Superius illud ex eo fit manifestum, quod judices in poenis nec modum ullum tenuisse nec tenere potuisse dicant. Si enim judices vitia inter se nec compararunt nec comparare potuerunt; poenarum etiam modum nec tenuerunt nec tenere potuerunt. At justitia, ut equidem arbitror, primarium munus est, ut poenarum modus teneatur. Aliter justitia nomen suum amittit & in contrarium vertitur. Stoicorum certe quidem justitiam, quæ omnia omnino peccata paria censet, omnes explodimus; quod & parem aliquorum turpitudinem esse putamus, & aliquorum imparem. Ubi autem peccata alia aliis paria sunt, alia imparia; ibi comparationi locus est. Quod autem comparationis vituperatores a se ipsis dissentiant, facile est probatu. Dicunt enim se modos intelligere, substantias non item. At vero quia modi nullam obscuritatem habent, siccirco omnino aestimari & inter se comparari possunt. Si obscuri essent, aestimari non possent. Fateantur igitur iidem illi, contra quos disputamus, aut comparationem fieri posse, quia modi clari sunt & perspicui; aut comparationem fieri non posse, quia modi clari obscuritatem habent, quæ comparationem impedit. Utrum velint, nobis perinde est. Alterum quidem rationi consentaneum est, alterum non est.

§. XLVI. Nobis interim vel siccirco comparationem illam recte suscepisse videmur, quod nunc ad Plagii potuam inveniendam aditum habemus planum & facilem. Qualem non habuimus, nisi ita coramunivissemus. Etenim comparationis ea vis est, ut, quæ per se minus intelligentur, e comparatione utique intelligantur. Quod Plutarchus in primis & Rapinus viderunt, qui claros in civitatibus suis & re litteraria viros ita inter se comparaverunt, ut ipsi in iis collaudandis propriam gloriam consequerentur. Quam quidem eandem nos Plagiarioem historicis nec invidemus & optamus. Adhuc quidem nemo est inventus historicus, qui Plagiarios quosdam inter se conferret, aut eum aliis hominibus improbis curiose compararet: sed erunt fortassis posthac, qui hanc provinciam occupent. Cum enim historias suas, etiam sine comparatione, viris doctis gratas esse videant, modo vere sint & curiose conscriptæ: sperare licet, fore quosdam, qui ex comparatione gratiam scriptis suis aliquam concipient. Omnino enī comparatio gratiam habet & voluptatem.

## CAPUT VIII. QUINAM ERUDITORUM POTIS- SIMUM ET PER NATURAM SUAM PLAGIARI SINT.

### §. I.

**Q**uodsi eorum, qui se se litteris dedunt, ingenia consideremus & institutionem; nihil

hij mirum videbitur, alios scriptores Plagii affines esse, alios non esse. Est enim omnis institutio vel publica vel privata. Publica quamvis accuratissima sit, tamen multas ambages habet, de quibus, tanquam via regia, declinare non licet. Privata, ceteris paribus, præ publica compendium quoddam est multo jucundissimum. Neque sane aliter fieri potest, quam ut privata publicæ anteponatur. Cum enim auditorium publicum ex diversissimis ingeniis constet, atque ita diversissimorum ingeniorum a doctore publico pariter sit habenda ratio : intelligitur profecto, doctorem retardationi esse profectibus ingeniorum bonorum , si curate copioseque res suas persequatur, quia illis res omnes paucissimis verbis declarari possunt ; obesse contra mediocribus deterioribusque ingeniis, si locos plerosque breviter perstringat, quia inculcari debent, quæ ab iis sint comprehendenda. Id quod in privata institutione longe secus est. In ea enim ad captum auditoris facile se accommodare potest præceptor, ut majores indies proiectus fiant, nec quicquam temere & frustra præcipiatur. Apparet igitur, studioforum duo genera esse : Alteri, qui publica solum institutione utuntur, ad consuetudines & officia eruditivi viri nescinda non satis felices sunt , nisi forte ingenit præstantia naturæque bonitas institutionis inopiam & pravitatem compenset. Alteri, qui privata utuntur, ad omnes consuetudines & officia doctorum virorum nescitanda fortunam satricem habent, modo cetera sint paria,

nec præceptor pravus sit & indoctus. Quocirca nihil equidem miror, superiores dubitationibus & interdum turpissimæ ignorantiae obnoxios esse: posteriores politissimos evadere & omni rationis apparatu circumfluere, etiamsi utrique ad litteras parem industriam afferant & ingenia paria.

§. II. Primus igitur Plagii fons est dubitatio; dubitatio autem ex institutionis corruptela manat. Qui itaque ad bonos mores & honestatem omnem non sunt bene informati, Plagiariorum numerum augent.

§. III. Sed quanquam parentes filios suos privatim instituendos curent, tamen sæpe nihil magnopere proficiunt; quia in præceptorum delectu minus felices sunt, aut filiorum ingenia torquent.

§. IV. Præceptores plerique rebus inanibus discipulorum memoriam implent, quæ usu carrent & ad vitam communem nihil afferunt momenti. Quid olim, in Logica præsertim, boni erat; cum tamen ex Logica judicium nasci debet? Quid in reliquis scientiis, antequam res literaria immutaretur? Quotusquisque præceptor erat, qui teneros animos linguis sic imbueret, ut ratio illa, quæ in ipsis etiam inest, intelligeretur? Unde igitur judicium nasci poterat, quod in ci-tandis autoribus tantum esse debet, quantum uspiam maximum? Culpa igitur neglecti judicij in doctoribus erat, a qua nunc alienissimi sunt, qui etlechicam philosophiam profitentur. Sunt autem

autem hodie plerique omnes, qui eam profiteantur.

§. V. Misella vero quorundam ingenia causam esse, cur Plagiariis abundemus; nec dubitamus noe miramur. Multi enim ad litterarum studia minis ac vi compelluntur, alii suasu adulatorum illectantur, quidam otii amore adducuntur. Invita igitur Minerva (ut ajunt) quid est, quod praeclari efficiatur? Hi tales cum vel munieris ratione vel aliis causis ad dicendum scribendumve aggrediuntur, a Plagio se abstinere nequam possunt. Ex suo enim ingenio nihil exprimere queunt, sumunt igitur aliunde. Et quia sepe non expedit, ut doctores, unde sua congesserunt, nominent, (quis enim postillatores similesque libro celebrat?) iocirco Plagium devitari nullo modo potest.

§. VI. Sed nondum omnes enumeravimus, qui Plagiarii sint aut facile sint. Etenim a natura plerique omnes pravitatis habent semina, & nisi divina gratia juventur, ab ea nuncquam liberantur. Adspirant enim omnes ad honores, ad pecunias, ad voluptatum & deliciarum copiam. Huic omnes omnium cogitationes spectant. Alii tamen alios ambitione, avaritia ac voluptatum studio superant. Atque iocirco licet aliqui res suas ad solam fere existimationem, aliqui ad solas divitias, ceteri ad solas voluptates consequendas accommodare videantur; tamen revera eos ista coniunction expetunt, ita tamen, ut alias carunt alii preferant. Videamus igitur, in quem

harum rerum ordinem referri queat librorum scriptio & sententiarum peculiariam inventio. Hoc enim si noverimus, perspicuum erit, ambitione ad plagium proeliviores sint, an avari, an voluptarii.

§. VII. Qui libros cōponere aggreditur, rem arduam suscipit & molestam. Primo enim diligenda est materia utilis, non nimis trita, & jucunda. Deinde diu multumque lexitandi sunt varii libri, diu multumque meditandum, frequenter meditationes retractandæ. Tertio filius debet esse perspicuus, tersus & ad naturam rei explicandæ accommodatus. Denique ordinis est habenda ratio, non superstitione quidem, nec tamen nimis incuriose. In rebus hisce omnibus cum magnopere desudatum est, exigua sēpe utilitas ad scriptorem ex scriptura resultat, gloria vero paulo major. Quapropter quisquis sua voluntate ad libros edendos animum applicuerit, nec naturæ pravitatem ante correxerit; gloria cupidus sit, oportet. Avarus alia, magis fructuosa, curabit: Voluptarius trivia & circulos, ubi jocus & urbanitas versatur, fere consestabitur, a molesta librorum confectione alienus.

§. VIII. Cum igitur Ambitiosus scribere coepit, nihil temere eārum rerum prætermittet, quae ad famam parandam conducant. Conquirit rara, solida, communiter grata, si non tetricis & morosis, at certe curiosis lectoribus. Omnia illa interpolabit, ornat, apte digeret, terse denique & luculenter lectoribus suis exponere conabitur

bitur. Non erit ille quidem a turpissimo quoque Plagio alienus; sed tamen nemo plagii difficilius accusari, nemo minus convinci poterit, propterea quod plagium suum lectores studiose celat, ne famæ & existimationis, quam vel habet vel sperat, ullam jaçturam faciat.

§. IX. Atque ita quidem Ambitiosorum series habet. Sed nonnunquam tamen etiam avari & voluptarii libris scribendis operam dabunt, aut pecuniarum amore inducti, quas aliter se paraturos diffidunt, aut amicorum precibus & cohortatione, aut Principum magistratumve auctoritate, aut aliis causis.

§. X. Qui auri cupiditate ad scribendum instigantur, hi libros inconditæ molis multis auctoritatibus crebrisque digressionibus refertos edent, ut argento bibliopolam emungant. Neque sibi ducent religioni, aliena furtim pro suis venditare, quamquam ea certo judicio nec delegerint nec emendarint. Hi tales quia morosum, invidum, occultum & fallax ingenium habent, & molem librorum studiose amplificant, Plagium vitare ac vafre occultare vix poterunt: cum præser-tim nimis fere distrahantur curis, quæ sibi nequam permittant, ut plagiis occultandis vacent. Neque libros suos premunt, ut sensim plagiæ diligentius occultent: verentur enim, ne se mors occupet egenos ac pauperes. Non possum illistris exemplum preferre, quam Cardani. Sed tamen

tamen illud, quia prolixum est, ex Bælio legi malo.\*

§. XI. Voluptarii denique libellos parvulos, nec eos suos, in lucem emittent, si quando amicorum hortatu libros scribere conentur. Quodsi tamen carmina faciant, si jocos spargant, si fabulas Romanenses confingant, & alia studia hisce consimilia tractent; aut imitationis obtentu, aut ingenii felicitate atque impetu, Plagii crimen effugient. Sin alia scribere cogantur, tum vero alienarum observationum famam non expetent. Nisi vero nomina scriptorum, unde profecerunt, per negligentiam omittant: semper ingenue magistros suos deprædicabunt. Plane enim ab superborum avarorumque abhorrent consuetudine, propter naturæ suæ diversitatem, quæ eos ad consecrandum otium, mollitatem, loquacitatem, luxumque impellit.

§. XII. Hæc quæ diximus, intelligenda sunt de scriptoribus iis, in quibus aut ambitio, aut avaritia, aut voluptatis cupido ita eminet, ut ceteræ cupiditates, quæ cum præcipuo affectu conjunctæ sunt, parvæ & in gradum insimum dejectæ videantur. Nam qui voluptatis libidinem & ambitionem, aut ambitionem & avaritiam, aut avaritiam & voluptatem pari quasi lance habent, aut naturæ alia ratione utuntur; ii vario plagii genere variisque modis delectabuntur. Sed cum hæc prolixiora sint, quam ut in brevitate nostra locum inve-

H 4

niant,

\* Vid. Ejus dictionar. Crit. in verbo: Cardanus.

niant, plura hic dicere nolim : cum præsertim alibi eadem de re commodior sit dicendi locus.

§. XIII. Jam cum certum sit, singulis hominibus singula studia esse aptiora ; cum item certum sit, neminem temere , natura invita, quicquam suscipere discendum ; non est mihi dubium, quin cholericus, melancholicus, sanguineus suæ quisque naturæ gratissimas convenientissimasque litteras coluerint scriptisque vulgarint. Et quoniam plerique scriptores vitia naturæ suæ ad scriptionem attulerunt : perspicuum est utique, in illo litterarum genere, quod Melancholicos ac Cholericos delectat, plurimos esse Plagiarios. Pertinent autem ad illud litterarum genus Historia, Philologia, Jus Civile Romanum, Philosophia Practica & theoretica, aliæque ejusdem generis scientiæ. Sed quominus hisce solis Plagium terminaretur, plurimæ sunt causæ. Primo enim non omnes, qui unquam vixerunt, scriptores sua sponte ad illas litteras applicuerunt animum, ad quas natura propensi erant : sed alii voluntatem amicorum secuti sunt, alii genium seculi, quidam Patronorum magistratumque jussa, ceteri causas alias. Hos tales, non mirum est, ad eas quoque scientias, quarum genuiñi cultores Plagium aversantur, Plagii turpitudinem propagasse. Quamobrem etiam Theologia, etiam Poësis, etiam Oratoria cultores habuit, quibus furti si gma inurendum censem Erudit. Secundo credibile est, multos sæpe scriptores improbis amicorum consiliis perpullos esse, ut scripta,

pta, ex quibus profecerant, occultarent. Multi enim  
judicio suo diffisi, amicorum auctoritate peccare  
malunt, quam propriæ rationis hortatu recte face-  
re. Hi igitur quanquam forte ceteroquin ingenuis  
moribus fuerint, & illas literas amarint, quæ pla-  
giarios non habent; tamen alieno instinctu de-  
mum a via recta deflexerunt. Tertio casus ali-  
quis aut ipsa mors impedire potuit scriptores  
quosdam, quo minus illum, a quo iusitati quid  
didicerant, nominatim appellarent. Cum enim  
scriptores quidam auctorem, cui sententias suas  
potissimum debebant, in præfatione nominare vo-  
luerunt, sed antequam opusculo præfationem ad-  
jungerent, & vita excesserunt; certe nunc suspi-  
cionem Plagii incurrint; præsertim apud eos,  
quos Plagiiorum mercatura delectat. Eadem  
sæpe illorum est infelicitas, quorum scripta, ipsis  
inficiis, ab ineptis aut non satis circumspectis ho-  
minibus intempestive publicantur. Quarto li-  
brariorum socordia sine dubio nonnunquam fa-  
ctum est, ut loci, in quibus scriptor auctores sen-  
tentiarum suarum candide nominabat, omitte-  
rentur. Cum enim multi versus in Homero, \* &  
multæ sententiaz in Seneca \*\* ac Cicerone, \*\*\*  
integri libri aliorum scriptorum \*\*\*\* hodie desi-

H s deren.

\* Plutarch.

*\*\* Vid. notam Cellar. ad Lactant. V. c. 22. S. II.*

P-395.

\*\*\* *Livii, Dionis Cassii, Diodori Siculi, Taciti,  
Ciceronis Quæst. Academ.*

\*\*\* In libr. III. de natar. decr. &c.

derentur, quos olim extitisse certum est: haud dubie quædam loca, ubi candidi scriptores magistrorum suos indicarunt, corrumphi aut omitti potuerunt. Fortassis plures supersunt causæ, per quas factum est, ut nunc in omnis generis libros Plagii suspicio aut vere aut falso cadat; sed illæ, quas commemoravimus, principem locum tenent.

§. XIV. Illud olim sœpe mirabar, quod in tanta omnis generis plagiæ copia, paucissimi sint Theologorum nostrorum, qui aut insimulentur plagii, aut potius juste possint insimulari. Non licebat suspicari, causam illam esse, quod homines nostri Theologorum nostrorum plagia celent & studiose dissimulent. Neque enim huic tali suspicioni ullus erat locus, cum ipse Ludolfus pro judicii candore ac libertate sua Dilherrum Plagii accuset.\* Etenim quanquam nostri ea dissimularent, tamen eorum adversarii haud dubie in istis prodendis operam tempusque suum consumerent. Vera igitur hujus rei causa videtur hæc, quod Deus, pro singulari sua gratia, sub initium restaurandæ veræ Religionis, nobis tantos tamque graves Theologos est impertitus, ut eos nominasse gloriösius sit recentiorum temporum Theologis, quam celasse. Accedit etiam, ut Theologi nostri, paucis forte exceptis, morum innocentiam quam aliis inculcant, ipsi factis suis comprobare gestiant. Qui autem ipsi magno sunt ingenio ac doctrina, & cum hisce morum sancti-

\* In pref. ad Comm. Histor. Aethiop.

sancitatem singularem conjungunt., ii furto se  
commaculare non possunt.

**S. XV.** Cum a Theologis nostris discesseris,  
nulla gens , nulla philosophorum secta occurret,  
quæ plagii suspicione magis vacet , quam Judæi.  
Hi enim in libris suis semper curiose nominant  
eos , e quorum scriptis aut disciplina depromse-  
runt præcepta quædam. Quod quidem tam fa-  
ciunt constanter, ut ne Græcorum quidem scri-  
ptorum, Aristotelis, Platonis, aliorumque aucto-  
ritatem defugiant, tametsi haud dubie per eam  
auctoritati suæ obsint. Ita enim produnt igno-  
rantiam philosophiæ Mosaicæ, quæ Platonicam,  
Aristotelicam ceterasque veritate præstat, dum-  
modo sine præjudicatis opinionibus aut addiscatur  
aut queratur. Non est necesse, ut Judæorum  
in nominandis doctoribus ingenuitatem exem-  
plis confirmem. Eam omnis Talmud testatur,  
omnesque Judæorum omnium libri & commen-  
tarii. Causam hujus moris tam perpetui & in-  
veterati si queras, scire licet, Judæos Traditioni,  
quam dicunt, plurimum tribuere, ut eam in ipsis  
veritatis criteriis ponant.\* Quare mirum non  
est eosdem etiam auctoritati , quæ a traditione  
commodè divelli non potest, ingens pretium sta-  
tuere. Jam cum doctoribus iis, qui in Talmude  
laudantur, summam ac plane singularem sapien-  
tiæ affingant; facile fit, ut magnam scientiam  
magnam-

\* Vid. R. Joseph Albo Sepher Iccarim differt. I. c.

19. & diff. III, c. 23. adde Cofri Part. I, n.

25-52. & Part. III. n. 35. seqq.

magnamque auctoritatem assignent etiam recentioribus Talmudis lectoribus, tanquam qui per industriam suam in summæ illius vetetum doctorum scientiæ societatem venerint. Hæc opinio, hic auctoritatis amor cum semel animum occupavit: nihil est uspiam auctoritatis, quin eodem se insinuet. Quamobrem etiam Græci Scriptores, uti mox dicebam, in Judæorum scripta se insinuaverunt.

§. XVI. Sed tamen pauci quidam Judæi paucas sententias e Novo Fœdere omnino sumere potuerunt, quas libris suis furtim insererent, ut Lightfootus existimavit. Magna est enim in Judæis invidia & odium religionis Christianæ; quod odium fortassis eos deterruit, ne Apostolorum auctoritatem & nomen prædicarent, cum bonis ipsorum sententiis utearentur, & suis libris insererent. Verum hæc conjecturæ sunt, ut revera sunt, conjecturæ. Quas nec labefactare gestimus nec stabilire. Nostrum fuit, paucis judicia eruditorum virorum indieare. Alii enim Judæorum ingenuitati multum tribuunt, alii aliquid detraheunt, ut ostendimus. Candor Judæorum in citandis auctoribus, quantum quidem ego ex eorum scriptis intelligere potui, omnino magnus est. Quodsi tamen odio religionis Christianæ aliquid sibi assimilserunt, in quo fas & honestatem violarent; sane turpiter fecerunt & sceleris. Sed hæc alii disputatione curatius.

§. XVII. Illud hic prætermittendum non est, ex iis, quæ modo disseruimus, quoddammodo

intelligi, quibus temporibus plagium florere maxime soleat? Illis videlicet, quibus ignorantia, officiorum præsertim, aut invalescit, aut invaluit: Itemque illis, quibus magnus scriptorum cholericoco-melancholicorum quasi proventus existit. Ut enim interdum incident ea tempora, quibus ignavi duces bellici complures, vel fortes complures, aliique artifices una cooriantur: ita fieri potest, ut in eadem tempora plurimi scriptores cholericoco-melancholici incident.

**S. XVIII.** Sed hominum nescio quorum culpa accidit, ut satis ignoramus adhuc, quibus potissimum temporibus plagium floruerit, &c, quod consequens est, ignorantia & vitia multa regnarent. Illud tamen, si quid video, ignorare desinemus, cum historiam majoribus indies honoribus mactaverimus, & Plagiariorum præsertim historiam, pro temporum, quibus vixerunt, serie conscriptam, legerimus. Quam felicitatem desperare non licet, in tanta hujus ætatis scriptorum copia & diligentia.

**S. XIX.** Nos, ut verbis nostris aliquam fidem conciliemus, duo præsertim tempora notamus, quibus & ignorantia vitiorumque turpitudo late patuit, & Plagium una crebrum atque usitatum fuit. Illa tempora Martialis sunt & Scholasticonrum. Martialis ætate, Domitianus homo sceleratissimus summam imperii tenebat, qui philosophos omnes Italia summovit, honestosque viros

mulo-

multos capitali odio infestavit.\* Non igitur mirum est, tum inter eruditorum reliquias Plagiorum quoque ingentem numerum succrevisse, non solum adulterorum aliorumque hominum impurorum. Quod autem plurimi fuerint Plagiarii, crebræ illæ Plagiatorum vituperationes testantur, quas Martialis Epigrammati suis interposuit.\*\* Testatur etiam admonitio illa, qua Plinius, Martialis æqualis, Octavio versuum suorum editionem extorquere conatur. *Enotuerunt, inquit, quidam tui versus, & invito te, claustra tua fregerunt, hos nisi retrabes in corpus quandoque, ut errores; aliquem cuius dicantur, inventent.*\*\*\* Scholasticorum tempotibus vero, cum subtilius disputare & inania verba fingere gloriosum erat, recte simpliciterque sentire ac vivere non item: Plagium scriptores plerosque invasit ac dehonestavit. Testem appello Barclaium, qui de Scholasticis ita differit:\*\*\*\* *Erat tamen scientiae quoddam genus, animis & temporibus illis aptum: Philosophiam resque divinas immenso disputandi studio aut evolvere, aut miserius impedire; tum in Jure responsa prudentum, Imperatorumque rescripta, vel que Pontificibus placuerunt, insanis & inconditis voluminibus ad eternos discentium labores*

\* Sueton. c. X. in Domitian. Add. Plinii epistol. passim.

\*\* Libr. I. Ep. 30. 39. 53. 54. 67. 73. & libr. II. Ep. 20. & libr. X. ep. 100. 102. &c.

\*\*\*\* Plinius libr. II. Epist. 10.

\*\*\*\*\* Icon. Animor. c. 2. p. m. 19.

bores augere, pluribus vero hac ratio tunc scriben-  
di, ut, quodcumque argumentum sibi sumerent, pri-  
orum auctorum de eadem re verba ac sententias,  
tanquam sua, lectoribus darent. Neque vero quic-  
quam reperio, quo Scholasticos contra accusato-  
res defendam. Si enim in exscribendis aliorum  
sententiis impigri fuerunt : in apponendis sen-  
tentiarum auctoribus eandem industriam adhibe-  
re debuerunt, si quidem ingrati animi, aut sal-  
tem neglecti decori, crimen effugere voluerint.  
Rusticitas nunquam in laude poni potest eorum,  
qui sapientiae studium profitentur. Cur ergo in  
Scholasticis excusationem mereretur, qui veræ sa-  
pientiae studium præ se tulerunt utique ? At vero  
quæ deinceps rusticitas est, si doctoris merita tace-  
re, rusticitas non est ? aut quæ beneficiorum obli-  
vio est, si doctoris reticentia non est ? Evidē-  
scio, scriptores plerosque, Scholasticorum tempo-  
ribus, Monachos fuisse, qui paupertatem, castita-  
tem & obedientiam profitebantur, id est, pecunia-  
rum, voluptatum, honorumque odium. Sed an  
hæc omnia, quæ profitebantur, studiose & con-  
stanter fecerint, dubium est profecto. Signa pau-  
pertatis, castitatis, obedientiæ ubi quedam appa-  
rent : ibi non continuo vera paupertas, ve-  
ra castitas, vera humilitas locum habet.  
Concedo igitur, famæ non admodum studuisse  
Scholasticos, propter sectæ suæ disciplinam : ab  
omni famæ studio alienos fuisse, nunquam con-  
cedam. Cur enim prægrandes titulos illos exco-  
gitassent, quibus Thomam, Scotum ceterosque  
orna-

ornarent, nisi famam magni fecissent? Cur capi-  
tali odio inter se dissensissent, nisi famæ multum  
tribuissent? Sunt enim Nominalium & Realium  
inimicitiae multo gravissimæ.

§. XX. Sed, ne quid dissimulem, duo sunt  
præsertim argumenta, quibus Scholasticorum  
contemptio famæ confirmetur. Nam & sine con-  
tumeliis inter se discordabant dissentiebantque,  
& aliqui libris suis nomina sua non præfigebant.  
Utrumque mōrum leniorum & cujusdam quasi  
communionis litterariz insigne videtur.

§. XXI. Atque ego lubenter concedo, sine  
acerba animorum offensione scripsisse Scholasti-  
cos. Sed hæc ipsa lenitas ex famæ cupiditate  
potuit cooriri. Quo lenior enim & clementior  
est adversarius in refutando, eo majorem laudem  
consequitur. Nam & is, qui refutatur, adver-  
sarii clementia delectatur, & ceteri, qui disputatio-  
nis contentionisque sunt arbitri. Et quoniam  
Monachorum certi quidam ordinēs sunt, quo-  
rum quisque suam existimationem acerrime tue-  
tur ac defendit: stultus atque inhumanus fuisse  
scriptor, qui, singulorum inimicitiis suscep-  
tis, universum ordinem provocasset & exasperasset.  
Etenim ex singulorum contemtione universi ad  
se redundare infamiam arbitrantur: sicut contra  
et singulorum gloria cunctus ordo gloriam &  
fameum capere judicatur. Scholastici igitur si-  
feste, ut videntur, metu quodam modesti fue-  
runt & laudis cupiditate, non est genus eorum  
scri-

scribendi ab omni vitio alienum, multo minus ad communionem quandam honestam accedit.

§. XXII. Quanquam etiam Scholastici multi, & præfertim historiei, libris suis nomen suum non præfixerunt, atque iccirco famam neglexisse yideri possunt: tamen, si rem omnem curatius æstimes, non propter laudis contemtionem, sed propter muneric rationem nomen suum omiserunt. Etenim, ut ex G. Schubarto audire memini & res ipsa docet, Scholasticorum temporibus, in Cœnobiis præstantioribus ab Abbe deligebatur Monachus aliquis, cui rerum singulis annis gestarum descriptio demandaretur. Ea descriptio deinceps continuabatur ita, ut, prioribus historicis mortuis, plures identidem ad eam pertinendam aggredierentur. Neque vero Monachi illi iccirco scribebant, ut publicæ luci daretur historia, sed ut Monasteriorum privatis usibus inserviret, & aliorum otium delectaret. Apparet igitur ratio, qua factum est, ut Scholasticorum historiæ pleræque nec Auctorum nomina prædicent, nec prædicare possint aut debeant. Hæc ratio autem satis ostendit, in hujusmodi historicis ambitionem inesse potuisse, quanquam nomen suum scriptis suis non apposuerint.

§. XXIII. Si qua unquam propriæ laudis contemtio floruit, in Portu Regio longe maxime floruit. Hæc enim societas non solum præstantissimos quosque libros sine auctorum nominibus edidit, sed etiam in his ipsis libris, ut propriæ sententiaz propriæque laudis suspicionem effuge-

ret, verbum *je* (ego) cum verbo *en* (man) similibusque studiose commutavit. Qua in re, ut equidem sentio, magna proprii ingenii & doctrinæ despicientia, magna studiorum & laudis communio elucet; Si quidem vera, voluntaria & sincera fuit. Sed, ut ex comparatione intelligitur, longe alia Scholasticorum, ac Portus Regii, ratio fuit. Tersiores libros edidit Portus Regius, quam Scholastici: meliores locos tractavit Portus Regius, quam Scholastici: arctiorem societatem & convictum coluit Portus Regius, quam Scholastici: ad summam fontes præstantiores, puriores, salubriores pervestigavit & patefecit Portus Regius, quam Scholastici. Quare Portus Regi communio propter singulare doctrinarum atque honestatis studium vitio fortassis caret: Scholasticorum centones nulla communionis excusatione tegendi videntur. Hi centones enim cum Auctorum nominibus sint insigniti, proculdubio saltem aliquam laudem auctoribus afferre debuerunt: at libri eorum, qui Portum Regium tenebant, auctoribus suis nullam afferre laudem debuerunt, quia fere sine propriis illorum nominibus prodierunt. Si enim laudem propriam cuique auctori quisque liber afferre debuisset, auctoris nomen ferre debuisset. Sed fatis apparent discrimen Portus Regii & Scholasticorum. Plura igitur addere nihil attinet. Atque ita manet id, quod initio dixi, Scholasticos mihi non omnino excusandos videri, quanquam vel pulcherrimum Portus Regii exemplum ad eos accommodetur.

## CAPUT IX.

DE PLAGIARIORUM ARTIBUS  
IN OCCULTANDO PLAGIQ.

## §. I.

**A**rtes, quibus Plagiarii furta sua tégere co-  
nantur, multæ sunt, & uti ipsis notissimæ,  
ita ingenuis hominibus pene ignotæ.  
Quemadmodum vero ceteræ improborum ho-  
minum fraudes ex usu & congressionibus eorum  
facilius discuntur & intelliguntur, quam ex diu-  
turna meditatione: ita sine dubio ii, qui cum pla-  
giariis familiariter vivunt, varias eorum artes re-  
ctius enumerare poterunt, quam quivis vel dili-  
gentissimus cogitator. Interim ad artes illas di-  
gerendas nihil est accommodatius, quam descri-  
ptio Thomasii nostri, quem iccirco, ut videbitur,  
nos quoque sequemur.\*

§. II. Artes igitur Plagiriorum versantur  
vel in Auctoribus quoquo modo decipiendis &  
frustrandis, vel in eorum scriptis callide expilan-  
dis, vel in semet ipsis ac scriptis propriis ostentan-  
dis, vel denique in Auctoribus & eorum libris si-  
mul infamandis.

§. III. I. Adversus auctores ita se gerunt Pla-  
giarii, ut eos circumveniant vel tanquam inven-  
tores, vel tanquam scriptores. Seu, ut clarius  
loquar, Plagiati vel in eruditos eos incidunt, qui

nondum inventa sua litteris commendarunt, vel in illos qui jam commendarunt. Utrinque suæ Plagiariis artes sunt.

§. IV. Si Auctores inventa sua nondum conscriperunt, tum eos Plagiarii pecunia student ita delinire, ut sibi liceat ea suo nomine insignire. Sin pecuniam similesve res ad Auctores delinendos nullam vim habere suspicentur; tum primo Auctores ab edendis inventis abstinent, vel quovis modo impediunt. Itaque cum inventum quoddam novum inaudiverunt; simulatione amicitiae & judicii, vehementer illud improbant & contemnunt; ut, cum ab inventore neglectum fuerit & parvifactum, ipsi illud, adhibita correctione, sibi assumant. Quod consilium saepe multis feliciter cedit. Nam interea dum Inventores cunctantur & inventorum communicacionem publicam differunt: Plagiarii ea litteris mandant & edunt, atque ita famam Auctoribus præripiunt. Nam cum vel mediocre ingenium parva inventa splendidiora & utiliora facere possit, si tempus & diligentiam adhibeat: vix illa inventor agnoscat & sibi vindicare audebit, postquam ornatum & splendorem aliquem nacta sunt.

§. V. Sin autem Inventores inventa sua jam tum digessérunt ac litteris mandarunt: id agunt plagiarii ut iisdem, quas modo dixi, artibus ea in se transferant. In pecunia nimirum divina & singularis vis est, ad eruditionis famam parandam. Possem ejus rei testem appellare Morho-

fium, nisi res ita esset in promtu, ut disputatione ac testimoniiis non egeret.\* At quæ de pecunia diximus, ad alias res, quibus deliniri solent animi, facile possunt accommodari. Quocirca necesse non est, ut commemoremus, in honoribus, voluptatibus similibusque rebus eandem illam vim inesse, quam pecuniæ adsignavimus. Verum ubi per hos astus nihil proficitur; quoquo modo possunt, auctoris editionem impediunt Plagiarii, donec ipsi quoque furtæ sua concinnarint, ut edi queant. Quodsi vero Plagiarii tardare non possunt editionem Auctoris; schediasmate edito, vel sibi quædam ab eo detracta queruntur, vel casu & inopinato se præventos & occupatos esse dictitant. Atque hoc quidem satis honeste dictitare possunt. Fit enim interdum, ut duo scriptores honestissimi res ejusdem generis eodem tempore tractent, & simul edere velint aut possint. Quod infra copiose demonstrabimus.

§. VI. Alii se in doctorum virorum familiaritatem insinuant, ea spe, ut, si forte illi scripta sua negligentius custodiant aut subito moriantur, ipsi eorum scripta vel inchoata vel perfecta nanciscantur, ut ex iis sibi famam parent. Cum enim videant sæpiissime accideret, ut viri docti plurimos libros inchoent aut ad supremum vitæ diem retineant: mirifice reliquiis istis insidiantur, tanquam opimis spoliis. Hoc fortassis Averroes etiam jam tum spectavit, cum Avicennæ gratiam miro artificio & expeteret & impetraret. Scri-

pta certe domini sui mortui consecutus est & in rem suam convertit. Quodsi forte contingat, ut Plagiarius domino ipsi nihil detrahi posse videat; servulos ejus corrumpit, ut ii, absente domino, Museum recludant & ad furtum sint adjutores.

§. VII. Alii a peregrinantibus, quid docti vi-ri variis in locis privatim egerint, investigarint, invenerint, curiose quærunt. Quæ inaudive-runt, continuo perpendunt ac studiose periclitantur. Si Auctorem vere cogitasse vident, aut ex-perimentum novum utile fore & gloriosum arbitrantur: non dubitant illud, tanquam suum, ostendare. Hac via vir quidam magnum sibi nomen & decus peperit; si quidem vera narrant, qui cum bene noverant.

§. VIII. Quæ a peregrinantibus quæri & au-diri diximus, nolumus ita intelligi, quasi Eruditi in eadem urbe viventes non quærant ab amicis & collocutoribus, quid hi illive sibi ad scribendum proponant, & quid novi sint tradituri. Potest enim fieri, ut ab amicis Eruditorum in eadem, qua-tu, urbe viventium resciscas, quid illi novarum rerum vel meditatione ac pervestigatione rerum naturalium, vel attenta lectione scriptorum veterum ac recentiorum, invenerint & proposituri sint. Eas vero res novas, si pravis moribus sis, invidiose tibi affingere omnino potes. Exem-plo rem illustrabimus, ne quid dubitationis habe-re videatur. Hardouinus, qui a Jo. Clerico re-rum alienarum raptoribus graviter & sape est an-numeratus, & Toinardus vir historiæ veteris pe-gitissi.

ritissimus, Parisiis degunt. Contigit aliquando, ut socii quidam Hardouini Toinardum inviserent, & ab eo resciscerent, brevi fore, ut e tribus numis Samaritanis locum quendam Historiæ Maccabaicæ illustraret. Socii iidem cum docum rediissent, Hardouino Toinardi consilium exponunt. Hardouinus statim locum illum historiæ Maccabaicæ declarat epistola quadam, in qua fingit trium numorum Samaritanis characteribus inscriptorum formam ab amico sibi esse significatam, & ad declarandum propositam. Atque ita Toinardo famam præripere laboravit Hardouinus. Vide rem omnem eo loco, quem designamus.\*

§. VIII. Similis ars illorum est, qui negant litteras se accepisse, e quibus aliquid didicerunt. Nam & hi non tam in epistolam, quam in auctorem sunt injuriosi. Plures artes nihil attinet commemorare.

§. IX. II. Quod ad artes illas pertinet, quæ in scriptis callide dissimulandis versantur; nobis prima & princeps Plagii celandi ratio videtur illa, cum scriptum veri auctoris aboletur. Cum scilicet autographum veri auctoris primo describit, ac deinde discindit comburiisque Plagiarius; ne quando forte ex forma litterarum & scripturarum verus auctor conjici & agnosci queat. Nemo autem temere hoc crimine se inquinatur, nisi qui

\* Bibliothec. Univers. Tom. XXI. part. II. pag.  
130. seqq.

humanitatem omnem exuerit. Quales fere sunt homines valde cholericī & melancholici.

§. X. Altera ratio est, cum alienum scriptum valde immutatur. Etenim hæc talia scripta novitatis speciem facile præ se ferunt, sicut argentea pocula cum novam prorsus induerunt formam. Hæc fraus Cholerico-Melancholicis est propria. Laudis enim cupiditas efficit, ut quovis labore nova libro veteri forma comparetur.

§. XI. Quæ leviter interpolantur, etiam ignaros sæpe fallunt; sicut medicamenta illa, quæ pharmacopœorum opera, novum odorem, novum saporem & colorem natæ sunt, non videntur rebus notis & vulgaribus originem debere. Hæc ars cholericō-sanguineis valde depravatis tribuenda videtur. Laudis enim cupiditas ab otii amore fracta, non persequitur accurate id, quod maxime appetit Plagiarius, ut liber plane novus videatur.

§. XII. Quæ scripta amplificantur aut contrahuntur, etiam incircumspectos lectores in errorem inducunt. Alterum hujus fraudis genus postulat ingenium perspicax & laboriosum. Nemo enim amplificare potest alienos libros, nisi qui multas alienorū inventorum consequentias pervestigare valet. Alterum vero ab ingenio laudis studioſo, sed laboris haud patiente proficiscitur. Contrahere enim inventum vetus & paucis verbis describere, desidiam indicat, quæ tamen eam ob causam sibi novitatis gratiam pollicetur, quod nova inventa omnia a parvis initiis.

initiis ad justam amplitudinem ex crescere solent. Ergo hoc quidem plagium cholericis, sed simul valde sanguineis: illud cholericō-melancholicis videtur esse proprium.

§. XIII. Quæ a Plagiario patria lingua traduntur, non tam facile in sua natione plagii accusabuntur, quam si is aliam viam insisteret. Si quis Germanus, exempli causa, inventiones suas germanica lingua proponat & mox Hispanus quidam eas in Hispanicam linguam translatas pro suis edat: populares Hispani fraudem hominis non temere subodorabuntur. Qui quidem dolus Melancholicorum & paule cholericorum videtur esse proprius.

§. XIV. Cum nomine librorum sœpe res ipsa immutari creditur. Quemadmodum in communī vita sœpius evenire solet, ut vulgari nomine mutato, merces quæpiam rariores melioresque putentur. Qualem dolum Agyrtæ & circumforanei usurpant, magno cum emolumento suo. Cum autem ex hujusmodi arte parum judicii, aliquid contra leporis eluceat, sanguineis videtur esse tribuenda. Possevinus fortassis huc pertinet, qui, in tomum primum apparatus sui, Jamesii opusculum aliquod transtulit, nulla auctoris mentione & exigua tituli mutatione facta.\*

§. XV. III. Multi in committendo Plagio potissimum se ipsi spectant. Quare suas ostentant copias & facultates litterarias, vel alios ad eas

I 5

osten-

\* Vid. Th. Ittigi Viri Celeb. observat. IV. Miscell.

ostentandas deprædicandasque instigant. Hinc sit, ut quicquid aliunde audiunt, id omne sibi primis in mentem venisse glorientur. Cum enim saepe multi in easdem res & experimenta ineidant; paratam & probabilem habent excusationem Plagii. Hæc autem cum in promtu est, nihil morantur Plagii exprobrationem.

§. XVI. Alii ad experimenta solent administris uti solertibus & acutis; ut quæ ipsi per cordiam & laborum molestiam querere nolunt, per alios inveniant, ad aucupandam inventorum gloriam haud paulo paratores. Quamobrem impensam & instrumenta lubenter suppeditant; ministros hortantur, monent, alias laudant, alias objurgant; quid fieri velint aut futurum conjicant, obscure & inconstantissime docent, ut eventum præsciisse videantur. Sed cum aliquid inventum est, non est ipsis cum administris de terminis, sed de tota inventionis possessione contentio. Secus si accidisset, omnis vanæ spei culpa in ministros collata fuisse: at cum forte bene cecidit, inventum totum ad herum pertinet.

§. XVII. Alii contrariam hisce viam insistunt. Cum enim inventorum historias animo versant, pleraque casu, non consilio, reperta fuisse vident. Eos igitur experimentorum ministros sibi deligunt, in quibus nullum magnopere ingenii lumen appetet. Quod eo quidem lubentius faciunt, quod in primario Chemiæ negotio probitas & simplicitas regnare dicitur, exulare contra omnis ars. Illud sane constat, tirones aliquos

cum

cum in experimentis, quæ facere debebant, aberrarent & magistrorum præcepta negligerent, novas quasdam res effecisse.

§. XVIII. IV. Sunt Plagiarii, qui & in auctorem & in ejus scriptum injuriosi sint dolis suis. Quod sit primo, cum plane non nominant Auctorem, quasi si sibi prorsus sit ignotus. Ita enim efficitur, ut Plagiariorum lectores existiment, scriptum Auctoris illius, quem reticent Plagiarii, non esse ullius momenti, quod nusquam in eorum scriptis sit collaudatum. Quodsi autem scriptum Auctoris a Plagiariis contemnitur & in contumum adducitur, ad Auctorem quoque ipsum contumelia redundat. Quæ quidem tanto gravior erit, quanto meliores & diligentiores videantur Plagiarii. Diligentes enim & boni scriptores, si quem ignorant aut contemnunt, multum obsunt famæ ejus quem ignorant vel aspernantur, apud lectores non satis politos & eruditos.

§. XIX. Illorum quoque ars, qui Auctorem non appellant, nisi cum ab eo dissentiant & merito discordare possunt, tam tetra est & capitalis, ut vix dici queat. Et enim ita non solum scriptum auctoris sensim ab imprudentibus pro nihilo putatur, sed Auctor ipse, tanquam ingenio destitutus, spernitur.

§. XX. Sed qui locos ignobiliores duntaxat Auctori, quem furtim sequantur, tribuunt; ii vel eam ob causam versuti censeri debent, quod ita efficiant, ut lectores imprudentes in eam veniant cogitationem, Plagiarios ex suo ingenio res

præ-

præstantissimas expromsisse, ignobiles contra ab Auctore illo accepisse. Sed quid hac suspicione tum Auctori, tum ejus libro contumeliosius fingi potest? Etenim ingenium Auctoris parvis duntaxat rebus aptum, scriptumque ipsum salariorum manibus dignissimum putabitur.

§. XXI. Qui Auctorem alias celebrant & collaudant, alias occultant; honestius agere vindentur, quanquam ipsi etiam Auctoris famæ & libro detrahant. Nam cum aliquod ingenuitatis specimen ediderunt, facile adducunt imprudentes lectores, ut credant, nihil præterea ab Auctore illo & libro ejus in ipsorum libros translatum esse. Quæ suspicio cum inanis & falsa sit, Autori injuria & libro ejus contumeliosa est.

§. XX. Hosce Plagiarios omnes vincit is, qui id agit, ut Plagii suspicio in Autorem innocentem cadat. Quod quidem fit, cum Plagiarii libris suis ætatem majorem affingunt, quam Autor suo vere tribuere potest. Item, cum Plagiarii ratiunculis quibusdam plagiis culpam in Auctorem conferunt. Etenim postea quam infamant Auctorem, jacebit ipse & liber ejus. Odiosum est enim, quicquid Plagii suspicione dehonatur.

§. XXIII. De artibus hisce id breviter est animadvertisendum, eas non ex adversariorum exprobratione, sed ex re ipsa & familiarium confessione judicandas esse, si Plagiarius ipse eas diffiteatur. Adversarii enim scenæ suæ serviunt, nec veritatem sibi proponunt, sed victoriam, quæ dolor,

Io, an virtute paretur, ipsorum parum interest. Familiares vero, si quod Plagium ab amico suo commissum esse fateantur, dubitationem omnem tollunt. Ex quo, ut hoc obiter addam, proclive intellectu est, quid de Fr. Cuperi Plagio sit sentendum. Ejus enim familiares Plagium ab ipso adjudicare non audent.\*

§. XXIV. Tum animadvertas velim, singulas artes cum singulis causis, quæ scriptorem ad Plagium compulerunt, bene comparandas esse. Hoc enim si feceris, artes illas modo turpiores, modo honestiores esse videbis. Quod ad accusationem historiæ Plagiariorum observare necesse est. Illum certe Plagiarium, qui ignobiliores duntaxat sententias Auctori suo tribuit, nobilioresque sibi affingit, gravius peccare puto, cum Autor ille gratiosus est & intellectu factilis, quam cum Autor gratia & perspicuitate scribendi non valet. Magnum enim scriptoris decus est omnibus placere & stilo perspicuo uti. Quisquis igitur hoc decus Auctori invidet aut ullo modo detrahit, is officium suum parum curat & turpissime labitur. Contra doctor, qui in scribendo arte quadam decorum violat, & sic Plagium committit, levius peccat, quam is, qui doctoris personam non sustinet. Sola enim admiratio studiosam juventutem ad optimâ quæque conata perpellit & continenter excitat. Atqui admiratio illa levicula quadam decori violatione non conciliatur solum,

\* *Vid. Belius in Diction. Critic. sub voce Spinoza.*

solum, sed etiam stabilitur. Cur igitur admirationi illi non serviatur paulo impunius, nihil cauſe video. Plato rectoribus reipubl. mendacia quædam ignoscit: \* nos decori violationem quandam doctoribus, propter utilitatem discen-tium.

## CAPUT X.

### DE MODIS , QUIBUS PLAGIUM INVESTIGETUR , ET DEMON-STRETUR.

#### §. I.

**C**um veritas historiæ litterariæ in magni pec-  
ciculi discrimen adduceretur, si Plagiario-  
rum fraudes perpetuo laterent: solent viri  
eruditæ diligenter identidem annotare, quæ sen-  
tentia & libri quibus auctoriis sint accepti fe-  
rendi. Nobis igitur, quama illi rationem in pla-  
gio pervestigando sequantur, aut saltem sequi de-  
beant, breviter nunc erit demonstrandum.

§. II. Possunt rationes pervestigandi Plagii  
in duo genera distribui. Unum earum est, quæ  
latissime patent & ad universa Plagia spectant:  
Alterum illarum, quæ ad pauca duntaxat plagia  
pertinent. Superioris generis plurimæ sunt &  
anobis *communes* appellabuntur: Posterioris ge-  
neris

\* de Republ. libr. III. p. m. 433.

neris pauciores numerantur, & a nobis *propria*  
diceantur.\*

§. III. Ad *communes* quod attinet, primo velim, Plagii suspectorum naturam explorari. Nam cum in omni vita plurimisque in rebus ingentem usum habeat divina illa noscitandorum hominum ars, tum in historicis veritatibus examinandis & intelligendis longe maximum præbet. Qui Plagiiorum historiam componit, sæpe fallet suos lectores, nisi cujusque scriptoris naturam perspectam habeat. Quamobrem cum viderit historicus, Eruditum quendam Plagii suspectum, aut forte etiam accusatum esse; curiose ex omni ejus vita debet exquirere signa cholericæ vel melancholicæ naturæ. Nam cholericos & melancholicos ad Plagium præcipue propensos esse, supra demonstravimus. Cum idonea cholericæ ac melancholicæ naturæ signa adsint; nondum quidem Plagium fidenter suspicari licet, sed tamen multo nunc fidentius, quam antea.

§. IV. Etenim ingenium quoque Plagiiorum noscitori oportet. Magni virum ingenii non temere Plagii accusare licet, etiamsi naturam cholericam natus sit & tueatur. Nam hic talis etiam invenire per se potest ea, quæ aut olim, aut nuper, aliis primum in mentem venerunt. Cum enim magno ingenio nihil arduum & magnum sit: apparent profecto, gloriæ cupiditate maximæ quæque a magnis ingenii & pervestigari & inve-

niri

\* *Barbari communes vocant generales, proprias speciales.*

niri posse. At vero is, qui ex se res præclaras exprimere potest, furti sine gravi causa suspectus esse non debet. Mihi quidem non placet eorum consuetudo, qui Auctores innocentes nullam aliam ob causam omnibus suspectos & reos videri volunt, nisi quia aut ipsi sic volunt & optant, aut alios id optare vident. Sed hos nemo sanus & probus imitatur & probat. Accedimus igitur ad mediocria & infelia ingenia. Hinc paulo audacius exprobrare licet Plagia. Eis enim res plerique obscuræ sunt & difficiles. Non est igitur ab iis quicquam temere expectandum præclari & inauditi. Verum tamen nisi & hic circumspete & prudenter verteris, sœpe innocentissimis hominibus maximam afferes injuriam. Interdum enim mediocribus etiam ingeniis res inauditæ, vel saltem plurimis incognitæ, occurstant & quasi cœlitus offeruntur. Quodsi igitur ex horum ceteris moribus nihil doli, nihil jactantiae & arrogantiæ appareat, Plagium iis ego certe quidem objice-re nolim. Videmus igitur, qua ratione conjun-genda sit consideratio naturæ & ingenii, si quidem de Plagiariis recte judicare velimus.

§. V. Tum scriptoris suspecti vel accusati præceptores sodalesque velim exquiri ac considerari. Quanquam enim per naturam forte Plagium aversatus sit scriptor, tamen a præceptoribus, aut sodalium consuetudine, potuit corrumpi. Horum enim mores animis, præsertim teneris, facile usu inveterant. Quocirca jam initio dixi, \*

multos amicorum hortatu sua siue ab honestate deflectere, a qua, si naturam suam sequerentur, nequaquam deflechterent. Atque a sodalibus saepe libros ad edendum accipiunt quidam, quos hi deinceps pro suis edunt. Fecit id Sendivogius Polonus, qui librum quendam Chemicum ab Alessandro Sidonio Scoto jamjam morituro acceptum, non Sidonii sed suo nomine insignivit & edidit, ut Olaus Borrichius docet.\*

§. VI. Deinde profectus & studia Scriptorum cognoscenda sunt impigre. Illa enim si ignoremus, in convincendis plagiariis multo facillime labemur & errabimus. In iis quidem hominibus, qui a pueris in certum quoddam litterarum genus omnem operam, omnem curam, tempus omne impendunt, & propter crebram tractationem in rebus eo pertinentibus inveniendis felices sunt, Plagii suspicio vix locum inventit. Si modo ingenium attulerint amplum, laudis cupidum & a bonis præceptoribus sociisque fortunatum. Alii contra saepe libros edunt præclaris rebus plenissimos, quanquam nec naturæ solertia nec industria sua eas comparare potuerint. Non ignoro saepe accidere, ut impetu quodam naturæ ad præclara quæque feliciter inflammantur ingenia: sed hoc ipsum curiose est ab historicis Plagiriorum dispiciendum & annotandum, ne officio suo defuisse videantur. Curandum est igitur, ut vel ex historia, vel narratione familiarium, studia & profectus scriptorum quorundam libet

\* *De Ortu & Progress. Chemie p. 144.*

libet resciscamus. Ita enim fiet , ut Plagiarii omnes e tenebris in lucem producantur, & ab Auctoriis veris discernantur.

§. VII. Ætas quoque scriptorum intuenda est, si plagium eorum demonstrare velis. Quanquam enim adolescentes quidam sunt, \* qui excellentissima inventa vulgarint aut saltem vulgare potuerint: tamen ii omnes perquam exiguo numero concluduntur. Inventorum & Auctorum ætas justa plerumque solet esse. Neque enim aliter fieri potest. Cum enim teneta ætas doctrinis communibus imbuenda sit, & robustior ratiōnibus impertiri soleat: justa demum ætas veterioribus inventis aliquid addere potest. Prima ætas autoritate gubernatur, quod ad linguas & similes res addiscendas commodiōr via non datur, quam ut simpliciter credatur, rem unamquamque sic appellari, uti appellant ii, qui loquuntur. Altera ætas quum errorum crebram occasionem, frequentiam, turpitudinem cognovit; & veritatis facultatem, criteria, honestatem agnovit: tum & sibi & aliis diffidit, res oblatas curate inspicit atque judicat. Hæc dum fiunt, adminicula judicii conqueriruntur, libri meliores perlustrantur , doctores celebriores audiuntur consulunturque. Ita judicium quasi maturescit, ætatis tertiae accessione; in qua honestum & glōriosum judicatur, altius evolare & cum antiquissimis inventoribus versari, quos hominum fama beneficiorum memor in concilio cœlestium collocavit.

§. VIII.

\**e.g. Blasius Paschalisi.*

§. VIII. Hæc omnia cum perpenderis , ad Bibliothecas, quas scriptor suspectus adiit, mentem convertas oportet. Vix enim aut publica aut privata Bibliotheca est, quæ libros non habeat, a doctis viris correctos & annotatiunculis insignitos. Quas qui sublegerit, auctoritatem aliquam, si aliquantum ingenio valeat, levi negotio consequetur. Etenim inventa non solum inven-tis facile augeri , sed etiam sic mutari possunt & quasi decolorari, ut ipsum fontem non invenias & agnoscas, quantavis diligentia pervestiges. Vi-dendum est igitur, quas scriptor suspectus Biblio-thecas adierit & perlustrarit ? Videndum est, an illæ bibliothecæ publicæ fuerint, sed identidem privatis bibliothecis vellibris auctæ ? Videndum, an Bibliothecæ privatæ fuerint, & eorum quidem, qui libros suos diligenter ornent , illustrent, cor-rigant ? Ex his talibus enim mirifice possunt pro-ficere homines ingrati & laudis male cupidi.

§. IX. Ad summam scriptoris suspecti vita & fata omnia inquirenda sunt. Sæpiissime enim accidit, ut MSta, cogitata singularia, experimenta rariora ab hominibus ignotis , qui litterarum amatores sunt magis quam professores, casu quo-dam accipiamus. Ea vero sæpe sine ulla Plagis suspicione vulgare possumus. Frequenter etiam accidit, ut in itineribus aliquid audiamus, quod domi audire non poteramus. Quamobrem ex-quirendum est, quid scriptori suspecto in itineri-bus contigerit, quosque comites is habuerit.\*

§. X. De librorum etiam fatis solitus esse debet historicus Plagiiorum, non solum de librorum scriptoribus. Qui enim librorum fata noverit, saepe Plagiarios prodet atque infamabit, quos vix quisquam suspicatus fuerit. Quidam enim libri ea sunt infelicitate, ut dominis furtim detracti ab injustis hominibus diu premantur, dum ultimo tempore alienissimi hominis nomen fortiantur. Quis Cartesii librum de Genio Socratis nunc teneat, ignoratur: sed erunt fortassis tempora, cum is mutatus aut interpolatus prodierit.\* Eadem fortassis fata erunt manuscriptorum Bedellii, quae Burnetus sublata & distracta vehementer dolet.\*\* Illud autem librorum genus, quod, nisi ita edatur, uti reperitur, omnem gratiam & operæ pretium amittit, multo est felicius; modo ne in eorum manus incidat, qui litterarum plane sunt expertes. De libris historicis antiquis loquor, qui cum diu latitarunt, tandem tamen in lucem producuntur. Quò pertinet Martyrologium illud Ecclesiæ Germanicæ, quod Matthæus Fridericus Beckius publicavit. Hoc enim cum per septingentos annos delituissest, & jamjam ab opifice quodam discindendum esset, a Clarissimo viro quasi divinitus servatum est.

## §. XI.

bemii Holländ. Kirchenstaat Part. II.

c. 4. p. 382.

\* Vid. Bailleti Vita Cartesii.

\*\* in vita Bedellii, qua Gallice versa prodit Amstelod. A. 1687.

§. XI. Quodsi vero ad Plagium scriptoris comprobandum nihil vita, nihil familiares, nihil studia, nihil cetera conducant, ipse liber erit considerandus. Ubi quidem attendendum censeam ad ſtylum, ad ſententiās ac judicia, ad ordinem capitū, & ad annum quo ſcriptum prodiit, vel faltem ad tempus, quo ſcriptor vixit: nam in libris, qui hodie publicantur, annus fere ponitur, quo publicantur; sed in veteribus libris ſæpe de tempore, quo vulgatī ſunt, nihil cognoscere licet, præter ea, quæ coniecturæ ex Autorum vita utcunque produnt. Apparet igitur, ut hoc obiter interponam, quæ difficultates circumſtent eum, qui veteres ſcriptores Plagi velit accuſare. Cum enim tam multa ſint obſervanda, facile profecto fieri potest, ut in accuſando labatur historicus. Ne quid nunc te ceteris Criticæ adminiculis dicam, quæ ſimul callere & bene uſurpare debet is, qui hic vult elaborare. Sed nos haec omittimus; ut, quæ in ponderandis momentis allatis obſervanda ſint, breviter edifferamus.

§. XII. De ſtilo igitur multa ſunt, quæ anno-tari debent. Si plures libros ediderit ſcriptor; videndum eſt, an ſtylus librorum inter ſe congruat. Si congruat, bene eſt, nam ita omnes libri unum eundemque auctorem habere videbuntur. Si haud congruat, quidam forte alieni auctoris ſunt. Sed hic cautiones quædam ſunt adhiben-dæ, nec affeſteranter quicquam & temere pronunciandum. Eſt enim Auctorum quorundam ingenium ita flexible, ut a quocunque ſcriptore lecto

descendant, ejus statim stilum vel ignari imitentur. Est Auctorum quorundam industria tanta, ut stilum suum curiose corrigant & perficiant, cum jam ætate sunt proiectiores. Est Auctorum quorundam ea famæ incuria, ut cum primos libros politissima arte perfecerint, mox a se ipsis degenerantes, ultima scripta sermonis ornatuprivent. Sed hæc & alia plurima a Criticis petantur. Nos ad alia pergitimus. Cum duo scriptores easdem sententias iisdem verbis exprimunt, Plagii suspicione alteruter liberare se non poterit, quamvis eodem tempore utriusque libri vulgentur. Nulla enim ratio est, qua demonstrari queat, fieri omnino posse, ut eadem cogitationes iisdem verbis a duobus hominibus inscienter imprudenterque exprimantur. In Prophetiis Veteris Fœderis, sententiae iisdem pene verbis expressæ apud diversos scriptores extant, sed eorum similitudo Σεοπνευσία tribuenda est. Apponemus hic duo insignia paria locorum Scripturæ Sacrae inter se consimilium. Una par suppeditant Jes. c. II, 2. & Mich. c. IV, 1. Ille sic loquitur : וְהוּא בַּאֲחֹתָת הַיּוֹם נִכְןֵה תְּהִירָה הָר בֵּית יְהוָה בְּרָאשׁ הַחֲרוֹם וְנֶשֶׁא מִנְבָּעוֹת וְנֶהֱרוֹ אֶלְיוֹן כָּל הַגּוֹיִם : Hic ita sermocinatur : יהִיָּה הָר בֵּית יְהוָה נִכְןֵה בְּרָאשׁ הַחֲרוֹם וְנֶשֶׁא מִנְבָּעוֹת וְנֶהֱרוֹ עֶלְיוֹן עַמִּים : Alterum par : suppeditant idem Jesaias c. XVI, 6. & Jer. XLVIII, 29. Jesaiæ verba sunt hæc : שָׁמַעְנוּ נָאָק מוֹאָב : נָא מָאָד גָּוֹתָו וְנָאָנוּ וְעַבְדָּתוֹ לֹא כָּךְ בְּרוּי : שָׁמַעְנוּ שְׁמַעְנוּ, quo dixi, loco illa;

גַּתְן מִזְבֵּחַ נָחַת מָאוֹר גְּבָהּוּ וְנָאָנוּ תְּאֹתוּ וְרוּם  
 Atque etiam posterior liber Paralipomenon: לבן  
 iisdem verbis finitur, quibus historiam suam or-  
 ditur Esdras. Quam quidem convenientiam in-  
 de natam putat Huetius, quod uterque liber eun-  
 dem auctorem habeat.\* Levis autem paucorum  
 verborum similitudo non continuo imitationem  
 aut Plagium probat, nisi praesto sint & alia Plagi  
 aut imitationis indicia.\*\* Quid si vero auctor  
 quidam alicubi vocabula usurpet, quibus potestas  
 subjecta est, quam ipse iisdem alibi subjicere non  
 confuevit; aut si verba ignotæ sibi linguaæ ad  
 mentem exprimendam adhibeat, tum plagium  
 commissum esse vix dubitare licet. Cujus ob-  
 servationis magnus est usus in Muhammedo Pla-  
 gii convincendo. Cum enim in eius Coranum  
 verba Hebraicis & sono & significatu simillima  
 irrepserint, casui id non potest tribui profecto.  
 Si etiam ad Γεωπνευσίαν provocarit Muhamme-  
 dus, nos illud ei perfugium intercludemus. Sed  
 nec is, qui librum ex peregrina lingua in verna-  
 culam aut notiorem transfert, Plagii criminè ca-  
 rebit, si nonnulla belle, nonnulla inepte verterit,  
 nonnulla copiosius, nonnulla pressius. Hanc  
 certe ob causam ego non dubito, quin Amiotum,  
 qui Plutarchi Græca gallice vertere conatus est,

K. 4

Plagi

\* Demonst. Evang. pag. 352. edit. Lips.

\*\* A. Gellius Noct. Attic. libr. XIII. cap. 17  
 babet exempla quadam, que hoc perti-  
 neant.

Plagii accusem. De eo Simonius haec scribit: \*  
*Ceterum nolim plane defensare Amiotum in erroribus quos commisit, quorum aliqui sunt evidentes.*  
*Mirabile est, eum nonnunquam falli in locis, qui faciliter negotio bene verti poterant, & feliciter interpretari eos, qui intellectu difficiles & obscuri sunt.*  
*Id quod efficit, ut eum de hisce posterioribus locis doctos etatis sua viros & præsertim Turnebum consuluisse judicem.* In prioribus autem non satis circumspectus fuisse mibi quidem videtur & nonnunquam errores alienos descripsisse, præsertim Erasmi, in quo Graeca lingua tantum erat scientia, quanque fere creditur. Claudio Caspar Bachet Dominus Meziriaci, qui epistolas Ouidii Gallicis veribus complexus est, in notis quæs adjecit, locos quosdam versionis Amioti doctissime correxit. Ecce tibi unus, qui omnino memorabilis est. Plutarchus libro IX Serm. Conviv. ex Poeta, quem non nominat, duos verbus commemorat, quorum haec sunt verbæ:

Δωρέος τε, χρήστος τε, τογὴ Αἰόλος ἵπποιον γάρ

μῆτρας τοιούτης εἶναι μέντοι.

Amiotus ea ita traduxit: *Xuthus te Dorien, Hippocarme aussi Eolien, cum debuisset vertere, uti Bachetus:*  
*Dorus; Xuthus honneurs des Cavaliers.*

Hactenus Simonius. Sane vel hic unus locus satis demonstrat, Amioto satis ignotam fuisse

Græ-

\* Vid. Eius epistolam Gallicam XXII. pag. 169.

Eodem arguimento Politianum Herodiani interpretem Plagii accusat Huetius claris Interpret. p. 226. edit. Hag. Com.

Græcam linguam, & judicium hominum æquali-  
um de Amioto, quod paulo ante memorat Simonius, verisimillimum esse Ceterum, inquit Si-  
monius,\* quid non de docto illo viro dictum est?  
Invidi ejus cupiebant eum pro Plagiario haberi, ut  
qui ſolummodo ea, quæ alii jam in alias linguis  
tranſtulerant, in Galliam transferret. Qui-  
dam & eodem tempore auſi ſunt contendere,  
eum Græcam linguam ignorare penitus, &  
bellam illam translationem cuiam perſonæ, quam  
nutu significare videbantur, debere. Rationes,  
quibus deinceps defendit Amiotum Simonius, ni-  
hil probant. Commodum nunc aliis quoque  
erroris, in Amioti versione a Petro Petito notati,  
recordor; qui quidem error tam insignis est, ut  
qui Amioti eruditionem Græcam laudare volue-  
rit, judicium desiderare videatur. Videri error  
ille apud Petitum poterit; \*\* vereor enim, ne, si &  
illum adſcripferim, longus ſim & verbosior.

§. XIII. In ſententiis hæc in primis ſunt at-  
tendenda. Primo, an omnes, aut certe pleræque,  
pariter elegantes & docta, loco denique & tem-  
pori, quibus Autor ſcripsit, & intentioni, qua ſcri-  
psit, convenientes ſint. Si videoas omnium ean-  
dem elegantiam eſſe, tempus considerandum ve-  
nit, intra quod auctor librum perfecit. Brevi  
tempore vix quisquam librum elegantem com-  
ponit. Plures ſunt Manuții & Buchneri, quibus  
ad ſcribendum mora quadam opus erat, quam  
Eraſmi & Dallæi, qui ſubito multas paginas cogi-

K 5 tatis

\* pag. 167. Add. Bælius in voce, Amyot.

\*\* de Sibylla, libr. III, c. V. pag. 299.

tatis optimis implebant. Quodsi, igitur scriptor non beatissimi ingenii brevi tempore librum elegantem perfecisse se dicat; ignoscat nobis oportet, si ad credendum paulo simus tardiores, & ad numerum Plagiariorum augendum celeriores. Contra si sententiae non sint omnes æque selectæ, quanquam Scriptori ad perpoliendum librum nec otium, nec industria, nec ingenium defuerint, non est plagiæ suspicio vana & inanis profus. Cur enim non universas poliat & ornet, qui singulas potest? Scio equidem, ingenioforum hominum conata saepe infringi paucorum inventorum amore aut invidiæ metu, ut plura audere & universa perpolire nolint: sed tamen non omnes hanc consuetudinem sequuntur. Sunt enim, qui vel iniquissimis suspiciosissimisque temporibus aliquid audeant, quod supra morem seculi sit, & invidiosum. Consideranda sunt igitur hoc casu ea, quæ initio de scriptorum temperamentis dicobamus. Deinde videndum est, cum quibusnam sententiis societatem quandam habeant sententiae illæ, quas scriptor tanquam proprias usurpat. Hoc enim simulac invenerimus, plagiæ invenimus. Non diffiteor tamen hoc monitum saepe fallere posse, nisi & alia sint plagiæ vestigia. Possunt enim plures scriptores eodem tempore in easdem sententias incidere, uti constat tum ex Historia Anatomiae Plantarum, quam Malpighius pariter & Grevius eodem tempore conserpserunt, et si neuter alterius consilium novisset;

\* Vid. epistola Oldenburgi ad Malpighium p. m. 24.

tum ex historia Pelagianismi, quam & Norisius & Garnerius diversis consiliis usi, eodem pene tempore ediderunt.\* Cum vero iisdem temporibus eadem sententiae diversissimis in locis diversis scriptoribus obveniant: multo minus mirum est, diversis temporibus disjunctisque in locis viris eruditis easdem occursare sententias. \*\* Cur enim miraculo nobis esset meditationum similitudo, cum eadem res universis hominibus obversentur & meditando cognoscantur? Quamobrem mirum non est, Cartesii meditationes (si ponam, eas revera ex ejus cerebro, nec, ut quidam suspicantur, ex veterum philosophorum scriptis profluxisse) a plurimorum veterum sententiis nihil discordare & dissentire. \*\*\* Sed hæc, quæ diximus ad rem, quam hic agimus, pauca sunt, licet

mi-

\* Vid. epistola Norisii in Appendic. Augustin.

\*\* Vid. de Inventione Vasorum lymphaticorum

Act. Philos. Angl. A. 1608. m. Maj. pag. 94.

& 106. 107. & de colore solidum marmor imbuente Act. Philos. Angl. 1665. m. Decembr.

p. 208. seqq. edit. Latina. Adde Morboſii  
dissert. de vitro vocis humana ſono fracto  
pag. 420. Davidis Clerici quæſtiones ſacrae  
X. pag. 95. Petri Petitij prefation. ad Mifcel-  
lan. Obſervationes.

\*\*\* Daniel Jesuit. Voyage du Monde de Des  
Cartes pag. 31. 110. 126. 144. 188. Add. Cut-  
varthi in System. Intellectual. ubi ſententia  
plurima veterum, quibus cum Cartesiana  
congruunt, exponuntur.

mirabilia & observatu, si quid video, perquam digna. Plura igitur proferemus, ut si quem exemplorum luculenta paucitas non moveat, eum multitudo demum moveat ac percellat. Grotius cum intelligeret, Salmasium sibi primum vide ri, qui significationem verbi  $\alpha\pi\epsilon\chi\epsilon\nu$  Matth. VI, 2. latinæ cuidam locutioni respondere animadver tisset, non accusat ille quidem Salmasium Plagii, sed tamen id a se dudum animadversum asseverat.\* Ergo Grotius de similitudine sententiarum idem sentiebat, quod nos, qui easdem obser vationes pluribus in mentem venire posse statui mus. Contra idem Grotius sibi primus videtur esse, qui pescatorum personas in Poemata Drama tica induceret. Sed idem jamdudum a Sannazario factum erat.\*\* Morhofius etiam nobiscum consentit, ut ex hisce verbis apparet. *Fuere nunc, inquit, cum hæc scribo, qui Machine alicujus inven tionem proposuere, qua non unus tantum homo, sed integri exercitus sine pontibus impune per aquas ambulare, gladiis pugnare, ignes & tela jaculari possent.* Publicis relationibus in omnium notitiam res illa venit, ferebaturque Cl. Dn. Wagenseilius bu jus inventi artifex, de quo tamen alii ante ipsum jamdudum cogitarunt. *Quod clarissimo huic virtute forte ignotum: neque enim illius inventum in da bium voco, & possunt pluribus eadem saepe in men tem incidere.* Idem tamen, quod nemo animad vertit, jam sub hujus seculi initium Principibus & rebus

\* Vid. Grot. Epist. Part. I. ep. 694.

\*\* Vid. Menagii Antibaillet, Tom. I.

*rebus publicis inter ceterasua arcana obtulit Magnus Pegelius, cuius jam supra mentionem fecimus. Ex enarratione autem circumstantiarum utrinque collatarum idem patet esse inventum. Ilnde manifesto exemplo videre possumus, quam multa in seculis prioribus per socordiam hominum neglecta, quæ alio tempore iterum in conspectum producuntur.\* Ipse Wagenseilius de Heidelio idem judicat, quod Morhofius modo de Wagenseilio. Cum enim Vir clarissimus narrasset Wolfgangum Ernestum Heidelium A. M DC LXXVI librum edidisse, in quo Jo. Trithemii Steganographiam primus sibi videtur vindicasse, reserasse & illustrasse: addit, multo ante Trithemii incantamentis personam detractam esse ab Augusto, Serenissimo Duce Brunsvicensi & Luneburgensi, Anno 1624. Post ita pergit: Necesse est, non oculos tantum, sed & notitiam omnino omnem Heidelii effugerit hoc opus (Augusti illius) nec enim verisimile fit, illum ita frontem perfricuisse, ut optimi maximique Principis glorie data opera caliginem inducere, soleisque nebulis obfuscare ipse voluerit.\*\* Guilielmus Molineux novum quoddam hygroscopium inventisse sibi videbatur, quale tamen alii jam dudum Dresdæ viderant, & Sturmius descripferat.\*\*\* Huc pertinet fortassis etiam illa controversia, quæ*

Tor-

\* Polyhist. litter. libr. I. c. 20. pag. 234.

\*\* Wagenseil. Exercitat. sex varii argumenti, Exerc. II. pag. 60.

\*\*\* Vid. Acta Erudit. Lipsiens. m. August. A. 1636.

Torricellum & Robervalium distinuit. † Sed hæc exempla sufficient. Si quis autem est, qui adhuc dubitet unam eandemque observationem duobus obtingere posse; is hoc ipso profitetur, se nullam unquam rem esse meditatum. Meditantibus enim cogitationum similitudo in diversis hominibus mira non est, quia quotidiana ejus rei experimenta habent. ‡‡ Neque vero vel eam ob causam id mirum cuiquam videri potest, quia in aliis rebus, ubi non facile ulla similitudo accidit, tamen maxima interdum similitudo existit. Quam rara est facierum humanarum similitudo, sed tamen ea nonnunquam summa & singularis fuit: uti & ex Plinio,\* & Cicerone,\*\* & Morhofio,\*\*\* & aliis constat.

§. XIV. Certum quoque Plagii indicium est methodi duorum scriptorum, quæ in eadem re declaranda versantur, convenientia. Pauci sunt enim

*† vid. Divers Ouvrages de Mathematique & de Physique par Mess. de l' Academ. Royale des Sciences. A Paris. A. 1693.*

*‡‡ Add. B. Thomas. libr. cit. §. 215. 216. 217. 218.*

*Atque etiam peregrinantes easdem res in commentariis suis annotare, miram non est.*

*Quare Murrhii & Olearii lis decidi forte facile potest, cujus supra mentionem fecimus.*

*\* Histor. Natur. libr. VII. c. 12.*

*\*\* Academ. Quest. libr. IV.*

*\*\*\* Von der Teutschen Poesie und Sprache cap. VI. p. 112.*

enim scriptores , qui vel Syntheticam vel Analyticam methodum curate obseruent : plerique omnes arbitraria , quam dicunt , utuntur . Quæcunque autem arbitrio humano debent originem , ea nunquam non erunt diversissima , propter ingeniorum morumque infinitam diversitatem . Et quanquam Analyseos aut Syntheseos leges diligentissime servare cupierint Scriptores : vix tam fieri poterit , ut duo scripta perpetuo congruant , propter eandem , quam dixi , doctrinæ & ingeniorum discepantiam .

§. XV. Tempus etiam , quo liber plagi su-  
spectus prodiit , omnino considerandum est . Credibile est enim , eum qui serius librum edit , libros dudum editos & eundem locum declarantes vidisse & usurpare . Quanquam hoc ipsum non semper verum sit ; \* uti vel ex iis , quæ modo ex Morhofio & Wagenseilio attulimus , luculententer apparet . Solent enim inventores li-  
bros dudum a se compositos sæpe sero demum producere . Solent Plagiarii nonnunquam fœtus adulterinos citius in luce protrudere , ut ex-  
scripsisse ne videantur . Illi , quia novas senten-  
tias vel legitime pararunt , vel fortuito repere-  
tunt ,

\* *Vide quæ de Regneri Graafii epistola & Joannis van Horne observationibus circa partes genitales differat Oldenburgius Act. Philosoph. Anglican. mens. April. 1663. pag. 74. & Oldenburgii responzionem ad Sindari querelam in Actis iisdem, mens. August. 1669. p. 287.*

runt, imitantur bonos patresfamilias, qui bona, multo labore vel fortunæ indultu parta, suis justo tempore dividunt nec intempestive ostentant. Hi contra furum vafritiem aliqua ex parte sequuntur, qui rebus male partis diffisi, statim ad Judæos advolant, ut iniquo lucro mature potiantur & eorum versutia aliquam impunitatem consequantur.

§. XVI. Hæc fere sunt, quæ de *communi-bus* Plagii pervestigandi modis dicenda putavimus. Jam de *propriis* singulorum generum modis aliquid addemus. Genera Plagii quatuor sunt potissimum: unum, cum audita inventa aliena pro suis quis venditat: alterum, cum manuscripta aliena pro suis quis edat: tertium, cum ex libris nuper editis singularia quædam surripiuntur: Quartum, cum liber editus interpolatus, aut in aliam linguam versus, non Auctori, sed novatori aut interpreti totus vindicatur. Ad hæc genera demonstranda artes quædam adhiberi possunt, quas breviter indicabimus.

§. XVII. Primum quidem genus demonstratur, cum scriptor suspectus bonis argumentis convincitur, ipsum omnino inventa, quæ pro suis edidit, ab erudito quodam viro audiisse, præsentibus certis quibusdam hominibus, certo quodam loco ac tempore; & si qua sunt similia, aliunde cognoscenda indicia.

§. XVIII. Alterum genus demonstratur, cum Manuscriptorum varia fortuna & quasi mi-

gratio

gratio curiose attenditur, vel saltem aliis ad attendendum commendatur. Sed hæc cura nemini demandari melius potest, quam vel iis, qui magnum cum eruditis litterarum commercium habent, vel illis qui ejusdem sunt nationis, civitatis, familiae & cognitionis. Quanquam interdum ne sic quidem satis præcaveri possit, ne manuscripta optima vel pereant, vel saltem plagiariis obnoxia fiant. Henelii Silesiographia quantis periculis exposita fuit, tametsi a parente filio ad edendum commendata fuisset. Etenim ab Helvichio inter Schedas Bibliothecæ cujusdam rejectaneas reperta est. Sed nunc tandem & auctori suo honorem peperit, & Fibigernio editori sempiternam candoris ac probitatis laudem attulit. Sunt præterea Plagiariorum artes in MStis captandis curate observanda. Hæ enim si cui vere, luculente & constanter exprobrari queant, historicus suo satisfecit officio.

S. XIX. Tertium genus ut curate demonstretur, maiori labore & ingenio opus est, quam vulgo putatur. Cum enim multi existimant, ejusmodi Plagium ex sola rerum similitudine judicandum esse: non licet dubitare, quin hic a multis turpiter erretur. Vidimus enim modo, quam moderate & prudenter de illa similitudine judicarint viri maximi & præstantissimi. Vidimus, rem ipsam nihil incredibile habere & proorsus inauditum.\* Multitudo simillimum cogitationum est

L

illa

\* S. 13.

illa quidem suspecta, sed tamen interdum male suspecta. Primum igitur communes illi modi curatius hic considerandi sunt, deinde bene ponderanda ea, quæ supra de peculiaritate disputavimus.\* Ita fiet, ut in exprobratione hujus Plagii raro erremus.

§. XX. Quartum genus non potest melius per vestigari, quam si notitiam librorum singularem acquiras, tam auctores in iisdem rebus versantes inter se compares. Quod illis præsertim, qui magnis Bibliothecis præfunt, aut saltem eas perscrutandi potestatem habent, factu proclive est.

§. XXI. Animadvertisendum est hic illud unum, gravem laborem suscipere Plagiariorum accusatores, si quidem officio suo satisfacere velint, cum tam multa per vestiganda sint & curate exploranda. Esse autem hæc ita multa omnino per vestiganda, vel ex eo constat, quod viri probi non est, temere aliorum probitatem honestatemque in suspicionem adducere aut ratiacula quadam in dubium vocare. Omnino autem vel probitas scriptorum vel honestas pericitatur & interit, cum Plagium eis exprobratur, ut supra demonstravimus.\*\* Sed hæc in proximo capite etiam sunt attingenda. Quare ad illud conferamus, quæ præterea dicenda forcent.

\* Cap. VI.

\*\* Cap. III. §. 3. seqq.

## CAPUT XI.

DE OFFICIO ACCUSATORIS  
PLAGIARIORUM.

## §. I.

**Q**uemadmodum homines nunquam desistunt vitiis se contaminare : ita non defuntur , qui vitiosos perstringant & accusent . Faciunt autem istud multi non ex virtutis amore , sed pravo quodam affectu . Alii enim aliena vitia culpant eam ob causam , ut sua obscurant , & vituperationes meritissimas a se in alios convertant . Quocirea in vita communii nemo pene aliis aut fulta , aut adulteria , aut alias pravas libidines frequentius objicit , nisi qui ut furti , aut adulterii , aut similium criminum alde est affinis . Rursus alii potissimum illa vitia amnant , a quibus ipsi propter conditionis & aturæ suæ rationem alieniores sunt ; licet aliis ipsisque vitiis sint omnino dediti . Sic illi , qui per naturam & ingenii imbecillitatem ab omni superbia sunt remotissimi , invehuntur in eos , qui gloriam suo sibi in genio parare possunt & loræ studio tenentur . Si qui a voluptatibus naturæ instinctu abhorrent vel paupertate abducuntur , exprobrant aliis mollitatem ac venerem . Qui avaritiae non sunt abnoxii , avaritiam quavis occasione pungunt ac sugillant . Quæ causa est , plagiarii sape accusentur ab illis , qui ipsimet sunt

sunt plagiarii ; sæpe ab iis , qui alio pravo affectu permoventur , nonnunquam tamen etiam a viris bonis. Atque hi quidem officio recte perfunguntur , sed ceteri non item. Non erit igitur supervacaneum , si pauca dicamus de officiis , quæ in plagiariis culpandis sequi deceat.

§. II. Omnis accusatio quatuor potissimum absolvitur capitibus. Primo enim necesse est , ut ad sit crimen aliquod ; deinde reus ; tertio accusator ; & denique judex. Singula hæc capita nobis patefaciunt locos quosdam , ex quibus officia accusationis expromere queamus. Quare etiam nos hic distincte considerabimus I. plagium ipsum , II. plagiarium , III. accusatorem & IV. arbitrum ; ita officia eorum , qui plagiarios insimulare aggrediuntur , nobis innotescerent rectissime.

§. III. I. In *plagio* ipso considerandum est , at omnino plagium commissum sit , & quibus indiciis veritas plagi probari queat : Semper enim cavendum est , ne hominibus innocentibus temere crimen affingamus. Quam in rem is , quod plagium commisso videtur , considerandus venit. Est nimirum perpendendum primo , quanta sit eruditione & ingenio ; deinde , an pravimoribus sic indulget , ut alios meritissima laud spoliare non dubitet. Nisi vero ingenium & doctrinam ejus expenderis , semper obscurum erit sine plagi reus , nec ne ? Similitudo cogitacionum sola non præbet certum plagi indicium. Qui enim aliis ingenio & solertia par est , & eadem , quas alii , literas colit , haud dubie etiam

res easdem invenire potest, uti supra ostendimus. Sed quoniam ex pari duorum virorum ingenio & doctrina non semper recte concluditur, eos in easdem cogitationes novas incidere potuisse, necesse est, ut porro dispiciatur, an is, qui plagi suspectus est, malis moribus fuerit & prava gloriæ cupiditate arserit. Id quod ex ejus vita & consuetudinibus, studiose consideratis, elucebit. Ad summam, ne de singulis agere oporteat, omnia plagi indicia, quæ supra memoravimus, ponderanda sunt.

§. IV. Postea vero quam certissimis ex signis cognovimus, omnino plagium commissum esse, considerandæ est res, in quam plagium commissum est, sintne integra capita, integrive libri, quæ plagiarius pro suis venditet, an pauculæ sententiae. Nam cum supra ostenderimus, plagia esse diversorum generum, sane dispicere debemus, ad quodnam plagi genus pertineat locus vel scriptum, quod nobis plagi suspectum est & compertum. Si enim hoc non faciamus, non modo lectorem nostrum incertum relinquemus & suspensum, sed etiam ipsimet negligentiae & inertiae suspecti evademus.

§. V. II. In persona plagiarii videndum, utrum honorata sit in republ., an contemta? Si honorata sit, officium nostrum postulat, ut honeste tractetur & liberaliter, ne ejus auctoritati, ad munus cum dignitate gerendum necessariae, officiatur. Quin etiam plane accusatio differri aut intermitti poterit, ne honoratorum virorum

laudibus obtrectare videamur. Illud enim hominum genus pestilentissimi est ingenii, qui ex vituperatione magnorum virorum laudem sibi & auctoritatem querunt. Etenim hi tales existimant, magnos viros nihil scire, aut certe multo minus scire quam ipsimet. Quæ arrogantia multis vitiis pravissimisque iudiciis suppeditat occasionem. Sin *contenta* sit persona plagiarii, nostrum est officium, ut dum eam accusamus, nihil contumeliose & acerbe dicamus, ne illudere & insultare videamur. At ei tamen ostendere licet, quam inhoneste ex injusta eruditorum scriptorum expilatione fama paretur seu potius captetur. Observandum est præterea, sitne plagiarius, quem accusare gestimus, *juvenis ansior?* *iracundus semper an placidus?* item *qua gratia & auctoritate valeat inter eruditos?* *Senibus* plagiariis, quaenquam forte paulo iniquius egorient, reverentiam aut faltem veniam debemus. Quoniam debili sunt memoria, nec semper satis firmi judicii, errorem non habere debemus pro crimen aut flagitio. *Juvenum* praves mores corrigere magis licet, ne iis vitia inveterent & eum aetate creseant. Sed *iracundis* exprobrare plagiūm, si præfertim acerbius id sit & suspic osius, magna est stultitia & improbitas. Stultitiae, quod Pythagoricum illud non attendit: *ignorare ne feces gladio: improbitas, quod lites & rixe iracundorum hominum non reformidantur & fugiuntur.* Placidus humaniter plagia possunt commonistrari; ut enim

enim ipsi non lacesſiti nemini insultant , ita nec iphiſ insultare convenit. Illos denique , qui apud eruditos magna *auctoritate* ſunt & gratia, laceſſe- re & corrigere, nescio ſitne magis imprudentiæ, an impudentiæ. Invidiosum certe quidem eſt, ma- gnorum virorum vitia in vulgus ſpargere. Quos enim plerique omnes amant & colunt , eos a- more cultuque dignos judicari volunt. Cum autem iſ , qui illorum vitia reprehendit , ſecus existimare videatur , ſtatim ei singularis ſapien- tiæ cupiditas affingitur , ab iis præſertim , qui præ fictitiis ſuorum laudibus veritatem contem- nunt. Cetera , quæ huc pertineant , ex dictis facile dijudicari poſſunt.

§. VI. III. In ſua ipſius persona conſiderare debet accuſator , ſitne ad accuſationem idoneus & omnibus rebus , quæ iſtuc perteſt , instru- ctus ? ſitne proiectioris ætatis , an juvenis ? quas ob cauſas accuſet ? qua auctoritate ſit apud eruditos ? & ſi qua ſint alia.

§. VII. Vereor ſane , ut boni viri nomen tueatur , qui ad accuſationem ſe parat , ante- quam cauſæ momenta recte ponderarit. At nihil minus verendum tamen , ne qui ſint ali- quando , qui prius accuſent , quam ſciant , quos accuſent , quid accuſent. Quodſi igitur impo- ſterum quidam extiterint , qui ſolidis rationibus historiam ſuam conſtabilire non queant , eos Varillatiſ annumerabunt homines probi & me- derati. Nihil enim foedius dici potheſt in histo- ricum , quam Varillaſium eſſe.

§. VIII. De *proiecta & juvenili aetate* quod monui, id hanc habet sententiam, ut ne quis junior ex plagiariorum accusatione gloriolam aucupetur. Cicero permittit adolescentibus defendere, accusare non permittit.\* Idem si novis scriptoribus suadet, nihil forte peccaverim. Majus pondus habet accusatio viri, qui ingenii sui vim & doctrinæ copiam multis scriptis comprobavit. Est enim in senioribus judicium matutum, majorque honestatis pariter ac decori cura. Sed tamen causas quidam dantur, cum adolescentibus accusare non minus honestum est, quam defendere: quod ille ipse Cicero bene & sapienter docet. Sæpe enim sola veritas satis causa est, quamobrem accusatoris partes suscipere liceat. Sæpe plagiorum quorundam ratio & indignitas multo notior est adolescenti, quam cuivis seniori: potest itaque adolescens Plagii veritatem optime demonstrare. Ei igitur demonstratio concedenda est utique. Sæpe etiam spes voluptatis cuiusdam ex longa industria percipiendæ satis causa est, cur plagiarios diligenter annotatos edant adolescentes. Etenim quia fieri potest, ut interea, dum proiectorem aetatem expectant, alii hanc spartam occupent & ipsos laude fructuque laboris privent: sic circa adolescentibus Plagiarios a se collectos publicare liceat, oportet. Cavendum est illud unum, ne pravis causis ad accusandum permoti videantur:

\* *Libr. II. de Offic. cap. XIV, ubi adde commentar. Gravii.*

tur: tum accusatio nihil habebit turpitudinis. Sunt autem in pravis causis numeranda illa omnia, quæ calumniæ, dicacitatis, inanis glorio-  
la speciem habent.

§. IX. *Auctoritatem aliquam in accusatore illam ob causam requiro*, ut majus pondus habeat accusatio. Quanquam enim hæc, si legitima & vera & honesta sit, per se omnino multum valere debeat: tamen, ut est hominum indoles, accusatoris auctoritas honestati veritati-que causæ momentum addere videtur. Leves auctores etsi vera dicant: tamen ut ipsis contemnuntur, ita eorum monitiones pariter negliguntur. Monitiones autem, quæ supervacancæ sunt futuræ, rectius saepe omittuntur, quam sufficiuntur. Adhæc cum auctoritas plerumque ex solida doctrina oriatur: liquet sane, vel hanc ipsam ob causam accusationem plagiariorum esse committendam iis, qui auctoritate valent. Hi enim partibus officioque suo satisfacent, hide-lectabunt & proderunt.

§. X. IV. Propter *Arbitrum in accusatione Plagiariorum videndum est*, ut causa agatur dexter & curate. Momenta causæ gravia & vera conquirenda sunt, conquisita commode disponenda, disposita perspicue & eleganter propo-nenda. Supervacua & ad causæ caput inutilia recte abjiciuntur, aut saltem meliori loco reser-vantur. Quare dialecticæ ostentationi ac subtilitati nihil indulgendum est, cum simplici & sin-cera commendatione delectetur veritas. Nimia

quoque verborum copia tam est fugienda, quam paucitas. Qui secus fecerit, arbitro suo vehementer imponet. Arbiter enim in quavis causa præstantissimas quasque rationes expectat, ut munere suo facilius defungatur. At accusator, qui leviculas quasdam ratiunculas proponit, gravesque vel ignorat vel negligentia quadam prætermittit, Arbitri sui expectationem frustratur. Arbiter rationum perspicuitatem desiderat, ne vel deceptus ac lapsus esse videatur, cum sententiam fidenter pronunciaverit; vel sententiam dubitanter proponere cogatur, atque ita lis maneat, quam tamen decidere debebat. At accusator, qui nimiam consecutatur brevitatem, perspicuitati parum consulit. Brevitas enim & perspicuitas inter se ita pugnant, ut prorsus conciliari nequeant. Arbiter minus commode perlustrare & discernere potest rationes, cum ejus oculis immensa verborum copia obversatur: optat igitur iustum verborum numerum. At accusator, qui verba cumulat extra modum, huic optationi arbitrorum adversatur, & simul disceptationi causa sua vehementer obest. Nihil est enim alius a persona accusatoris, quam committere, ut causa sua quasi tenebris quibusdam involuta videatur.

g. XI. Eset itanc exemplo quodam demonstrandum, quomodo in accusando nos gerere debamus: sed ea res longior fortassis esset, quam nostra brevitas pateretur. Quamobrem asibi conabimur exemplo quodam præcepta hæc illustra-

strare , & eo quidem memorabili. Nam dum nobis dignus videtur Muhammedus , qui Plagii curiose accusetur & convincatur. Quanquam enim identidem ab Eruditis eo nomine vittuperatus est : tamen tota illa causa nondum sic acta est , ut nihil addi , illustrari , confirmari queat.

§. XII. Ceterum cum ex iis , quæ diximus , satis constet , quam multæ difficultates circumstent accusatorem Plagiarorum : non licet nobis dubitare , quin ii , qui paucos accusant , facilius officio suo possint satisfacere , quam qui infinitos. Paucas enim difficultates , paucas molestias facilius superamus , quam multas & interminatas.

§. XIII. Sed qui pro veritate vindicanda & accusationum multitudine nullas recusant molestias , laboremque nullum : ii lectoribus suis non parum proderunt , si temporum ordinem sequantur. Etenim ordo temporum , quibus quisque Plagiarius vixit , ad ceteras litterarum doctrinarumque rationes noscitandas mukum conductit. Atque etiam facilius memoriæ commendari possunt , quæ pro temporum successione cognoscuntur. Sibi denique ipsis consulentes accusatores illi. Nam dum temporum successiones crebro & diligenter attendunt , in designanda peculiaritate sententiarum subreptarum minus errare possunt. Temporum enim ratio ad firmandam , vel etiam immuniendam , peculiaritatem plurimum valet , ut supra est ostensum.

§ XIV.

§. XIV. Si exempla quædam eorum, qui eruditis quibusdam Plagiarii videntur, & ab historicis nondum, quod sciam, ad ceteros Plagiarios aggregati sunt, cognoscere velis; Grotium adire licebit, qui Heinsium dicit ex Puccero, Fullero, Scaligero plurima depromsisse, nulla eorum mentione facta.\* Item Rivinum, qui Morisoni præfationem aliqua ex parte aliunde haustam esse contendit.\*\* Tum Morhofium, qui plures collegit.\*\*\* Deinde Joannem Clericum, qui Julium Firmicum Maternum Plagii crimine onerat.\*\*\*\* Eundem videre licet alibi quoque, ubi Hardouinum Salmasio quædam furtim detraxisse demonstrat.† Addi potest hisce Larrocanus, qui Varillasium famosum hominem, graviter accusat.‡‡ De Ruxneri Plagio consulatur Struvius.†††

§. XV. Si mihi optio quædam detur, videre gestiam Wilhelmi Ernesti Tenzelii Plagiarios, quos multo plurimos collectos habet, ut ipse pro-

\* Epist. CLII. Part. I.

\*\* Introduct. in rem herbar. pag. 63.

\*\*\* Polyhist. literar. libr. I. c. IX. pag. 84.

\*\*\*\* Biblioth. Chois. tom. II. pag. 240.

† Biblioth. Universell. Tom. V. pag. 12. seqq. §

Tom. XV. pag. 245. § 247. 248.

‡‡ Dans les nouvelles accusations contre Mr. Varillas.

††† In dissert. de doctis impostoribus. Vide sis etiam de Franciso du Laurens Acta Philosop. Anglic. mens. April. A. 1668. pag. 48. § mens. August. pag. 227. Google

professus est. Est enim in Viro illo magnum iudicium historicum, & singularis tum librorum, tum omnis rei litterariæ peritia. Ultraque vero hac laude ornatus esse debet, qui Plagiariorum multorum historiam scribere aggreditur.

## CAPUT XII.

### DE PLAGII ET PLAGIARIORUM DEFENSORIBUS.

#### §. I.

**C**um nonnulli Plagiariorum accusatores vel pravo affectu, vel ingenii imbecillitate non satisfecerint officio suo: permoti sunt sepe docti viri, ut ostenderent, Plagiariorum numerum nonnunquam imprebe augeri. Neque impostorum viris bonis & eruditis materia deerit defendendi, quos alii accusarint. Cum enim nobis non liceat sperare illud tempus, quo accusatores plane careant pravis affectibus, pigritia, ingenii imbecillitate: licet utique sperare, fore quosdam identidem, qui aliena vitia corrigant, & labefactatae veritati subveniant.

§. II. Sed quia nec defensores omni affectuum vitiorumque contagione sint immunes: erit fortassis operæ pretium, ut etiam eorum officia breviter exponamus.

§. III. Omnis igitur defensio, quam nos hic spectamus, versatur I. in consideranda causa, de qua controversia cœpta est inferri. II. in accusa-

toris

toris persona. III. in defensoris ipsius persona.  
IV. in Arbitro edocendo.

§. IV. I. Causa, de qua controversia est' coorta, defensori eadem officia præscribit, quæ accusatori, \* & simul quædam alia. Nimirum dispiciendum est defensori, an offenderit accusator in describenda plagi vitiositate? an in describendis plagi signis? an forte plagium, quod nullum erat, stolidè confinxerit? & quæ sunt generis ejusdem. Ut enim in ceteris hominum factis iudicandis varii errores committuntur, ut factum licitum & honestum pro turpi, scelus pro levi offensa, levis offensa pro scelere habeatur, & conjecturæ vel non satis considerentur & a suspicionibus separentur, vel non satis inter se copulentur ac comparentur: ita in Plagio accusando multum & crebro erratur vel errari potest. Alii exiguum plagium verbis exaggerant: alii grave plagium elevant; alii, ubi plagi nihil est, tamen plagi vident, cum suspicionibus duntaxat agant adspersenturque conjecturas & argumenta solidiora. Alii conjecturas paucas colligunt & inter se comparant, ceteras negligunt, quas conjugari oportebat. Utique igitur attendendum est defensori, ut, quoad fieri potest, veritati succurratur & falsitas profigetur.

§. V. II. Accusatoris persona monet defensorem, ut exquirat causas, quibus is ad accusandum est instigatus, ut consideret ejus statum eruditioinemque, an ad accusandum satis fuerit ac-

com-

\* de quibus vid. cap. XI. §. 3. 4. Google

commodatus. Quod si in hisce universis aut singulis aliquid vel in honesti, vel inepti atque indecori perspexerit: modeste & vere ista licebit indicare ac reprehendere. Videndum est tamen defensori illud in primis, ne terminos, quibus defensio circumscripta esse debet, excedat.

§. VI. III. Est videlicet defensio ad vitia accusatoris illa, quae extra causam sunt, nequaquam extendenda. Retundere licet tela: nova ingenerere, non licet. Defendere non est propugnare ac plane hostem offendere. Quamobrem omitenda censem omnia, quae litem augerent nec ad causam præcipue pertinerent. Poterunt tamen pro re nata de ejus, qui accusatus est, laude ac virtutibus aliqua commemorari.

§. VII. IV. Arbitri respectu eadem sunt officia defensoris, quae accusatoris. Annitendum est igitur, ut orationis perspicuitate, argumentorum vi & ordine, boni viri opinionem consequatur, & Arbitro assensum extorqueat. Quod si accusator Arbitrorum facultati judicandi minus servisse videatur; ejus vel temeritas vel inseitia simul reprehendi poterit.

§. VIII. Juvat hic commemorare rationem, qua Brauni Theologum Batavum a Plagii suspicione liberarit Benthemius.\* Primo ostendit, Brauni suspicionem Plagii incuruisse, cum de vestitu Sacerdotum Hebraeorum edidisset libellum, qui magno ubivis consensu celebraretur.

Suspicio-

\* Part. II. des Holländ. Kirchen-Staats cap. IV. p. 276.

Suspicionem ortam esse dicit ex familiaritate, quæ Braunio cum Constantino l' Empereur intercessit. Sed deinde Braunium, virum clarissimum, sic defendit. Comparat utriusque & Braunii & Constantini illius stilum ; Braunio tribuit orationem profluentem & elegantem ; Constantino duriorem. Addit, Constantinum nunquam nec litteris, nec coram, ejus generis librum promisisse. Mox virum doctum sibi dicit notum esse, qui multo labore atque impensa variis in locis, etiam longinquis, Eruditos percontatus sit , an alicubi ejusmodi manuscriptum , quod Braunius exscribere potuerit, latitasse scirent, sed nihil tale rescriverit. Accedit etiam, quod Braunius textrinam, qua inconsutilis tunica confici queat, Neomagii construendam curarit. Hæc inventio autem, cum optimi ingenii haud vulgare sit monumen-  
tum : credibile est, non solum ad illum librum componendum, sed ad alias etiam res præclaras excogitandas ac perficiendas idoneum esse Brau-  
nium. Id quod ex iis libris, quos imposterum nobis dabit vir eruditissimus , magis magisque elucebit. Neronem Claudium Cæsarem quibus-  
dam Plagii suspectum ita defendit Suetonius : \* *Liberales, inquit, disciplinas omnes fere puer attigit. Sed apbilosophia eum mater avertit, monens, imperaturo contrariam esse: a cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quo diutius in admiratione sui detineret.* Itaque ad poeticam pronus carmina libenter ac sine labore composuit , nec, ut quidam

\* in ejus vita, c. 52.

*quidam putant, aliena pro suis edidit. Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirograpbo scriptis: ut facile appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos; sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos: ita multa & deleta, & inducta, & superscripta inerant. Qua ratione Baglivus Plagii suspicionem a se repeliat, malim ex ipso cognoscatur.\* Quemadmodum Furreterius eandem propulset, etiam satis notum est, quanquam ab adversariis & invidis multum vexatus sit ob eam suspicionem.*

## CAPUT XIII. DE PLAGII ARBITRIS.

### S. L.

**C**um eruditus vir Plagii a quodam accusatus est, vel etiam inter Accusatorem & Defensorum contentio exarsit: multi existunt, qui illorum causam & rationes explorant & perpendunt. Quibus quidem nos Arbitrorum nomen indimus, quia corum judicio causarum momenta quasi committuntur. Sed tamen nonnunquam incidere possunt ejusmodi tempora, quibus Arbitri verbum multo magis proprie ponatur. Cum videlicet vel is, qui Plagii suspectus est, vel is qui

M

Plagio

\* In prefatione Operum ejus omnium, ubi ad Amicum ea de re epistola quedam reperitur.

Plagio se læsum existimat, vel quivis alius ad vi-  
rum quendam eruditum causam judicandam de-  
fert.

§. II. Eadem vero Arbitris, quæ defensori-  
bus, monita, eadem leges præscribendæ esse vi-  
dentur, & præterea quædam majoris momenti.  
Quodsi enim contigerit, ut ad unum quendam  
vel etiam plures Plagii judicium deferatur: tum  
sustinere debent & implere spem opinionemque  
justitiae, æquitatis & doctrinæ, quam de ipsis con-  
ceperunt litigatores. Sed de Arbitrorum officiis  
præclara scripta dantur, quæ si perlustrarentur, haud  
dubie plurima præcepta suppeditabunt, ad Plagia-  
riorum causas accommodanda. Nos ea, brevita-  
tis causa, prætermittimus.

§. III. Illud potius observamus, ad Plagium  
judicandum feminas tam aptas esse, quam viros.  
Nondum equidem, quod sciam, ulla fœmina exti-  
tit, quæ de plagio quorundam eruditorum judica-  
ret: sed cum in plerisque doctrinarum generibus  
viros adæquent:<sup>\*</sup> in judicandis Plagiis ingenium  
suum experiri possunt utique. Vetus certe mos  
est, fœminas de virorum scriptis & ingeniiis judi-  
care. Etenim olim in Gallia Matronæ honestissi-  
mæ de Poematum præstantia judicabant, dum ma-  
riti earum contra hostes arma ferrent. Erant  
enim comitia quædam Poetica, in quibus sic, uti  
olim in Ludi Olympicis, Poetæ de ingenii gloria

&amp;c

<sup>\*</sup> Vid. Menagii, Julii Cesaris Capacci, Jacobi  
Thomasi & Joannis Sauerbreyi nostri, notis-  
simascripta.

& carminum elegancia decertabant.\* Tcloſæ præsertim conventus Poetici celebrati sunt, quos Floralia dicebant. In his lege quadam cautum erat, ne cui fœminæ brabeum, quod Poetis excellentissimis solebat, tribueretur, nisi forte singulari eruditione esset, & versus, quos afferret, a se factos esse jurasset.\*\* Causam, cur juramento sint obstrictæ fœminæ, non prodit Morhofius: forte tamen, si conjecturis & suspicionibus locus est, causa illa erat, quod Matronæ istæ sexui suo non-nunquam indulserant & præmium contra jus a fas decreverant. Illud saltem ex illo more apparet, fœminas illis temporibus valde Plagii suspectas fuisse. Neque enim ad jurandum cogendæ fuissent, si Plagii suspicione prorsus caruissent.

S. IV. Juvat hic Arbitri exemplum afferre, modestia & judicio plenissimum. Morhofius cum in enarrandis Poetis Germaniæ inferioris ad Jo. Vossium pervenisset, hominem plebejum & vitriarium:\*\*\* ait, Vossium hunc sui admiracionem Tragoedia sua omni Bataviæ injecisse, propterea quod a vitriario singularem illam Tragoediæ istius inventionem & ornatum nemo exceptasset. Tum commemorat summam laudem, qua Vossium Barlaeus honestarit. Deinde fuisse quosdam affirmat, qui suspicarentur, Barlaeum Tragoediæ illius auctorem fuisse, sed Vossio, ut pro

M 2

sua

\* *Vid. Morhofium Part. II. de Poesi Germanica c. I. p. 160,*

\*\* *Vid. p. 161. 162.*

\*\*\* *libr. cit. Part. II. c. V. p. 259. Google*

sua ederet, concessisse; quo & animus eorum, quā Batavicam poesin latinæ pene anteferebant, exulceraretur, & ipsa poesis Batavica contemneretur, tanquam quæ ita vulgaris esset, ut maxima ejus laus non jam eruditis, sed ipsi plebi præcipua esset. Post sibi non satis in hac causa liquere profitetur Morhofius. Tum Tragoediæ Vossianæ partes omnes præclaras & majus quoddam ingenii lumen ostendere dicit, quam cetera ejus viri poemata. Sed tamen fatetur, ceteros versus Vossianos in suo genere prorsus eximios esse. Quare concludit denique, se non intelligere, quomodo Plagii suspicio in Vossium cadere possit: nisi forte, quicquid Vossianorum versuum est, id omne Barlaeo deberi dicatur.

§. V. Ceterum quanquam arbitri officio suo sæpe non satisfaciunt: tamen necesse non est, ut hic declaremus insigne illud, quo arbitros bonos a malis discernamus. Est enim intellectu facile, eum bonum arbitrum esse, qui præcepta perverstigandi Plagii diligenter attenderit: malum contra, qui ea vel omnino, vel ex parte, neglexerit.

§. VI. Illud optandum erat magnopere, ut, cum de Plagio viri cuiusdam eruditæ lis exarsit, continuo vir quidam doctus arbiter constituatur, ne posteritas vanis suspicionibus & conjecturis litem utcunque decidere cogeretur. Ex quo sensim dubitationes & argutulæ quædam ratiunculæ nascuntur atque in rem litterariam inferuntur, ut ultimo tempore apud eruditos de plagiariis quibusdam nihil superfuturum sit, præter tenuissimam quandam veritatis umbram.

## CAPUT XIV.

### DE PLAGIARIORUM POENIS.

#### §. I.

**Q**uia poena afficiendi sint aut affici queant plagiarii, ex eo capite, ubi vitiositatem plagi declaravimus, proclive est intellectu. Etiam ex comparatione Plagii cum aliis facinoribus obscurum esse non potest, easdem poenas Plagio statui posse, quæ illis vitiis statutæ sunt, quibus Plagium vere adæquatur. Neque enim ullam causam video, cur in æqualibus delictis æqualis poena locum habere nequeat.

§. II. Nihil sane impedit, quo minus ii, qui integra MSta clanculum descripta falso sibi tribuunt & editionem veri auctoris prævertunt, eandem poenam persentiscent, quam fures, & mendaces seu falsarii quidam, merentur. Obsunt enim, ut demonstravimus, non solum famæ & commodis Autorum, sed etiam aliorum hominum.\* Quin etiam nonnulli MStorum Plagiarii tanto acerbiore poena sunt afficiendi, quanto turpior graviorque sapientiæ ostentatio est, quam amotio pecuniarum, opum, honorum.\*\*

§. III. Illi etiam Plagiarii, qui novas inventiones alienas simul ac inaudiverunt, statim edunt profisi, multandi sunt graviter. Nam, ut præ-

M 3

dixi

\* Vid. suprac. VI. §. 3. 4. 5.

\*\* Vid. suprac. VII.

diximus, \* & existimationi & emolumentis Auctorum obsunt. Si quis aratori sementem surriperebat, in qua spes frugum mox percipiendarum ponitur; nemo esset, quin furem istum gravi poena dignum judicaret. At qui viris eruditis novam quandam inventionem suffurantur & sibi ipsis affingunt, privant auctorem spe existimationis & fructus, quae novorum inventorum editionem consequuntur. Quid est igitur, quod fures ejusmodi & veteratores puniri posse & debere dubitemus.

§. IV. Qui hisce minus peccant Plagiarii, minores poenas dent, justum & necesse est. Eas tamen desipire, nobis hic non licet. Definire poterunt viri eruditi, si hac de re inter se consultare velint, & rerum publicarum vindictam implorare. Constat certe, jam olim Erasmi & Hutteni controversiam quandam & simultatem ita consopitam esse, ut alter, qui causa cadebat, multaretur. Sed forte hoc exemplum eruditos patrum movet. Interim ex superiori illa comparatione, quam attulimus, satis est manifestum, haec quoque minora plagia puniri posse.

§. V. Qui decorum violant Plagiarii, iis pudor satis poenæ est, si incussus fuerit. Pudor enim & rubor fere solet esse poena illorum, qui decori nullam rationem habent.

§. VI. Atque ita satis constat, Plagium puniri posse, quamvis vel taro vel nunquam puniri solet. Cum enim quodvis plagii genus parem aliis

\* Cap. VI. §. 5.

aliis quibusdam vitijs turpitudinem habeat: plane dubitandum non est, quin eadem poena vindicari queant Plagia, qua vindicari solent vitia illa, quibus exæquari possunt.

§. VII. Sed quoniam nemo Plagiarius adhuc ullam pœnam dedit, præter communem illam pudoris: esset fortassis e re litteraria, ut Plagiarius quisque propriam & justam pœnam persolveret. Si enim justæ cuivis Plagio pœnæ statuerentur, gravi Plagio graves, levileves: tum demum existeter fortassis illud tempus, quo Plagium magis fugeretur, quam adhuc factum est.

§. VIII. Quodsi de pœnis Plagiariorum nostra dicenda foret sententia, ego pœnas accommodandas censem ad fines pœnarum, quos Gretius inculcat. Sunt autem finium eorum, ut vir maximus censem, \* tres potissimum. Respicitur enim vel utilitas ejus, qui peccavit; vel ejus, cuius intererat, non peccatum esse; vel indistincte quorumlibet. Id est, ut ad causam nostram accommodate loquamur, videndum est in Plagiariis puniendis, primum ut ipsi mores emendent, deinde ut Inventori & sua maneat gloria, & nova quædam accedat; postremo ut omnes scriptores ad sanitatem honestatemque adducantur.

§. IX. Ut pœnæ Plagiarios ad mores emendandos compellant ac simul ad gloriam honeste parandam instigent, duplarem viam insisti posse

M 4 arbitror,

\* libr. II. de Jur. Bell. & P.c. XX. §. 6. n. 2. adde

Pufendorf. de Jur. Nat. libr. VIII. c. III. §.

g. II. 12.

arbitror, pro dupli<sup>c</sup>i statu Plagiariorum. Hi enim vel honesto muneri præsunt, vel nondum ulli præsunt. Illos, qui muneri præsunt, omni majorum honorum spe orbandos, vel etiam ad inferiorem gradum detrudendos esse censeam. Hos vero, qui nondum ulli muneri præsunt, ab illorum honorum spe dejiciendos arbitrer, quibus digna forent inventa illa, quæ pro suis venditant, nisi facta ac supposititia essent. Hæc si ita fierent, fortassis utrique isti stimularentur ad vera inventa parienda, & maculam commentitiorum inventorum librorumque eluendam. Neque vero hæ poenæ quicquam habent iniquitatis ac injustitiae. Primum enim eorum, qui honores impertiri possunt & solent, cum primis magna cura debet esse, ut ne indignis honores deferantur. At raro continget, ut indignis deferantur, si quisque, poenis istis propositis, diligentia propria nec ingenio alieno famam quærere necesse habeat. Deinde quoniam honores fraude quadam & dolo parare ac tueri voluerunt Plagiarii, nihil æquius justiusque est, quam ut iis vel careant, vel excidant. Omnes enim ejusmodi doli, quibus honores ambiuntur, reipublicæ pestes sunt. Et, ut Cicero arbitratur, \* totius injustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui tum cum maxime fallunt, id tam agunt, ut viri boni esse videantur.

§. X. Ut Inventori auctoriique sua conservetur fama, imo nova quædam acquiratur; cogendum censem Plagiarium, si modo adhuc sit irre vivis,

\*libr. I. Officior. cap. XIII.

vivis, ut Inventori auctori inventa librosve suos  
publice atque aperte tribuat. Nihil est enim  
acerbius homini famæ cupidio, quam fateri, se ex  
turpitudine famam quæsiisse, idque nequicquam.  
Et contra nihil Auctori honorificentius, quam  
Plagiarium culpam suam profiteri & injuriam  
agnoscere. Sin e vita excesserit Plagiarius, atque  
ita duntaxat simulacro poenæ locus sit: tum ve-  
lim, Inventoris vita a viris doctis ita scriberetur,  
ut ei ex honorifica inventorum librorumque suo-  
rum commemoratione commendatio quædam  
accedat. Hoc si fiat, necesse est, ut Plagiarii me-  
moriæ sempiternum quasi stigma simul inuratur.  
Quod idem pro poena est ei, quem veræ poenæ  
mors jam eripuit. Hæc certe etiam causa quædam  
est, cur vitam Guil. Budæi a Lud. Regio scriptam  
collaudem & magni faciam, si quidem vere seri-  
pta sit. Ecce verba Regii: *Sed si quid (aliqui)*  
*malevolentissimis obtricationibus detrahere conati*  
*funt, id majori illis fraudis fuit, quam Budæo.* Edi-  
tis enim libris V de Asse & quoquo gentium dilapsis,  
tum longe lateque diffusa Budæi laude: inventus  
est in Italia Leonardus Portius, qui se offerret in bu-  
jus societatem gloriae, imo vero laudem omnem ejus  
inventi depecularetur, suam esse totam & propriam  
contenderet. Quod cum est ad Budæum allatum,  
graviter exarsit, quod nibil tam præter opinionem  
accidisset, quam ut depelleretur de ejus laudis pos-  
sessione, quam caducam & vacuam primus bona fide  
occupasset, & sine cuiusquam quasi usu cepisset. Ita-  
que vehementissima animi, irgenii, virium conten-

tione jus suum defendit, atque hoc ipsum palam testatus est, a nullo se unquam homine, duntaxat qui viveret, his de rebus quae tradidisset, quicquam dicisse vel fando vel legendo: tantumque abesse, ne quid a Portio acceperit, ut omnia que sub nomine Portii ad eam prodierant, illa uno eodem continuato perpetuoque furto essent ex suo aesse translata. Ac emulo illi sempiternam notam ad ignominiam insuffisset, nisi intercessissent amici. Hec enim contentio ne latius serperet, Jani Lascaris auctoritate perfectum est. Hactenus Regius.\*

§. XI. Atque haec poenæ, quas dixi, si assidue & continenter a Plagiariis sumerentur: etiam tertium finem facile assequeremur, ut scriptores omnes, aut saltem plerique omnes, a Plagio se abstinerent. Hi enim si viderent, Plagiariorum patriter ac Plagio læsorum vitas diligenter scribi, & hos collaudari, illos fœdo stigmate inuri; facile in officio continerentur. Etenim spes impunitatis maxima vitiorum omnium illecebra est; sublata impunitatis spe, honestatis studium servet. De communi illa honestate loquor, quam novit vita communis, non de ea, quam philosophi querunt & optant.

§. XII. Cum autem fieri possit, ut Plagiarium Plagiarius exscribat, queritur, qua poena sit afficiendus Plagiarius Plagiarii. Eadem scilicet, ut equidem sentio, qua Plagiarius veri auctoris vel

\* In vita Gu. Budæi ēnsertavitis selectorum aliquot virorum, qui doctrina, dignitate, aut pietate inclaruerent. Londin. A. 1681. pag. 226.

vel inventoris. Nam uterque rebus alienis profuis utitur; uterque verum auctorem debita laude privat; uterque pariter eruditis imponit. Neque vero nos a nostra illa sententia detrudere debet lex quædam Judaica, quæ a fure furis duplum reddendum esse negat, \* quamvis dupli restitutio fere soleat esse furum poena. Sunt enim in Pandectis illis, quibus lex ista inserta est, tam multa absurde sancita, ut nonnunquam non satis quemam demirari. Hæc ipsa quoque lex de fure furis nullo pacto defendi potest. Ita rationi repugnat! Id quod experientibus ac meditantibus satis constabit.

§. XIII. Illud mirum est, in tanto numero plagiatorum primi & secundi generis, \*\* nondum unum exemplum commemorari posse poenæ iis irrogatae. Sed tamen, in tanta plagiatorum cautione, admirabilitas quodammodo cessat. Cum enim vitia studiose teguntur & occultantur, fieri non potest, ut poenis vindicentur. Accedit, ut Plagiatorum impostura non satis pendatur, atque in circa poenarum cura negligatur. Etenim malis illis, quæ non considerantur & pro nihilo ducuntur, remedium afferre non studemus magnopere. Neque olim, cum unus obscurissimus Aristoteles floreret, novæ ejus interpretationes tanti pretii erant, ut de poenis cogitaretur eorum, qui novitates illas sibi tribuerent. Quid enim habet Aristoteles, quod humano gene-

\* Baba Kama c. VII. n. 1.

\*\* de quibus dictum supra c. VI. §. 3. 4. 5.

ri singulariter prospicit? At hodie cum natura rerum potius, quam obscurus sermo veterum consideratur; nova identidem inventa proponuntur, quorum temerarius & pravus usus tam vindicari debebat quam cetera quævis flagitia.

S. XIV. An autem expediat, plagiarios omnes semper poenas dare, id prudentium virorum esto judicium. Procul dubio in re litteraria sic, uti in civitatibus, non semper rigori & vindictæ locus est. Quare nos plura non dicemus, ut qui confidimus, facile a quovis ad plagiarios accommodari posse, quæ de poenarum usu ac necessitate universè differuerunt viri doctissimi.\*

## CAPUT XV.

### DE UTILITATIBUS NOTITIÆ PLAGIARIORUM.

#### S. I.

**C**um omnīs solivaga & jejuna cognitio invisa sit iis, qui veram & germanam sapientiam humano generi, & eruditis præfertim, fructuosam esse norunt: merito nunc id agimus, ut intelligamus, quid utilitatis ex notitia rei plagiariæ ad studiosos litterarum redundet. Evidem optandum erat, ut plagium totum e re litteraria sublatum esset, neque de utilitate notitiæ plagiariorum disputatione oportet: sed tamen nunc, cum

pla-

\* Vid. Grotius de J. B. 5<sup>o</sup> P. libr. II. c. XX. Buddeus Philos. Practic. part. III. c. V. Sect. V. pag. 497. seqq.

plagium ubivis invaluit nec imposterum fortassis exolescat, merito de utilitate quadam ex eo paranda solliciti sumus. Imitandi scilicet nobis sunt rerum publicarum boni rectores, qui etsi nihil magis optant, quam ut in civitatibus virtus & bonarum artium cultura floreat: tamen ex ipsa civium voluptate, injustitia, fraude, contumacia, ceterisque vitiis communem civitatis utilitatem servare & constabilire norunt. Exponamus igitur utilitates aliquas rei plagiariæ.

§. II. Eruditi viri cum videant, quot & quantis artibus utantur Plagiarii ad inventa aliena consequenda, & quanta generi humano ex Plagio calamitas nascatur: majorem adhibebunt curam & cautionem in libris suis mature edendis, aut saltem custodiendis. Est enim ea humani ratio ingenii, ut curiosius servet & custodiat ea, quæ a multis perverse appetuntur, & ad alios decipiens adhiberi possunt.

§. III. Qui sciverit se plagiarium legere, cautiuerit leget & studiosius, partim ut ne decipiatur, partim ut plagiarii doctrinam & ingenium noscat. In quo magna sæpe admirabilitas existit. Sæpe enim plagiarii libros ejusmodi componunt, qui inventorum scripta vincant; Cholerici puta, qui, ut dixi, sæpius plura præclare cogitata in libros suos conferunt quam inventores; qui studiosius recta & firma communiunt; qui alieniora & incerta rescindunt refelluntque; qui laborant, ut rationem & viam, qua ad inventa nova perducti sint, lectoribus demonstrent, quo revera primi rem i-

yenif.

venisse videantur; qui denique fontes, unde inventor aliqua hausit, inspiciunt, ut ne cum illo una fallantur. Cum contra inventores plerumque inventionis viam silentio tegant, & veris præceptis falsa quædam admisceant, tum inventi lenocinio, tum præjudicioqum veterum officiis occœcati. Ergo, inquies, ad Plagiarios Cholericos amandas nos? Amando equidem; sed ea conditione, ut curiose & laute legas, ne plus iis tribuas, quam revera debes. Leges tamen etiam veros auctorum libellos, qui quanto tibi magis probantur, tanto in sapientia plus profecisse videaris, nec unquam suspiceris fore, ut aliquando Te lectionis Tuæ pœnitentia teat. Habet enim omnis genuina inventio aliquid sapientiæ divinæ, quæ jucunda necessario est iis, in quibus sapientiæ divinæ aliqua lux inest. Quibus autem sapientia divina voluptatem aliquam affert, eis eadem voluptas non potest unquam pœnitenda videri.

S. IV. Si qua præcepta, vel multa vel pauca, a plagiariis direpta esse cognoveris: hoc ipso noſces, quem virum illi dignum habuerint, ex cuius laboribus emolumenntum & famam captarent. Et hoc quidem tum maxime certissimeque intelleges, cum plures eodem tempore eundem Auctorem exscripsierint. Quare etiam hoc ex argumento, quantus vir sit Huëtius, nisi aliunde & ex ipsis ejus libris constaret, facillime judicari posset. Ipse enim plurimos natus est, qui eum exsriberent; qua de re ipse in præfatione ad demonstrationem Evangelicam ita queritur, ut mag-

gnam laudem mereatur. Reprehendit enim Plagiarios suos sine ulla intemperantia.

§. V. Si paucissimi sint, vel etiam unus tantum, qui scriptorem quempiam, neglectum ceteroquin & contemtum, exscripterit: ne sic quidem operam, quam in pervestigando plagio posuisti, perdidisse te putas. Nam hinc poteris de Plagiarii ingenio & malitia judicare, quæ novisse multum nostra interest, ad scriptorum genium & vitam noscitandam. Colliges indidem porro, saepius nihil tam esse abjectum & humile, quin amatores inveniat; nihil saepe tam sordidum, quin splendidissimis cogitationibus materiam præbere queat, dummodo lectorem nanciscatur bono præditum ingenio. Quod hic quidera fiet, si vir magno judicio prædictus in contemtum librum inciderit.

§. VI. Subtiles præsertim plagiarii factio suo nos docent, qvanta sit animi humani confiden-  
tia, si impunitatem queat sperare, quæ facino-  
rum omnium causa est & origo.

§. VII. Contra insulti & inepti Plagiarii re ipsa ostendunt, nihil esse tam absurdum & in-  
ceptum, quod temere & impudenter non moli-  
antur homines, etiam ii qui sapientes volunt  
videri.

§. VIII. Neque recte metieris hominum eru-  
ditorum merita in literas, nisi Plagiarios ab in-  
ventoribus & candidis scriptoribus discernere va-  
leas. Turpissimo enim errore, quæ inventori-  
bus tribuenda erant, ea tu plagiariis assignabis;

nisi qui plagiarii, qui sinceri scriptores & inventores sint, scias & explores. Unde patet, quam bene illi, qui multa lectione ingenium ornarunt, tempus suum collocent, cum plagia detegunt & Plagiarios notant. Efficiunt scilicet, ut litterarum studiosi intelligent, cuinam revera debeant observationes varii generis. Hoc autem si intellexerint, tam vero demum grata commemoratione testari poterunt illam, quam inventoriis debent gratiam. Aequissimum est enim, inventores praeclarosque auctores concelebrari semper in pitemis praeconiis.

§. XIV. Illud quoque praestant boni plagiatorum nomenclatores ac investigatores, ut alii a plagio deterreantur. Nam si homines improbi intelligent, non defesse qui plagiarios identidem explorent & turpi nota insigniant; saepe pudore ac ignominiae metu commoti, paululum sapere & alienis rebus abstinere discent.

§. X. Sed quanquam, ut ex dictis liquet, magna utilitas capiatur ex notitia Plagiatorum: tamen metuo, ne in errorem inducantur multi, qui alienis nec saepe sat maturis confidant testimoniis. Sane in conjecturis posita est maxima pars accusationis Plagiatorum; ratio autem conjecturae talis est, ut, cum sapius aliquando responderit, interdum tamen fallat.\* Spes interim animum meum obtentat fore, ut cum plagii natura nunc denuo explicata est, pracepta hæc ad usum traducantur diligentius tum ab iis, qui Plagio se commaculant, tum ab iis, qui historiam eorum pertexunt.

## CAPUT XVI.

CONSILIA DE PLAGIO FUNDI-  
TUS E RE LITTERARIA TOL-  
LENDΟ,

## §. I.

**Q**UAE ratio Plagii & quanta turpitudo sit, satis est a nobis disputatum supra. Nunc quæ remedia huic indies magis crescenti malo parari queant & debeant, exponemus. Est enim hæc philosophiæ moralis summa & præcipualus, quod vitiorum tollendorum curam suscipit. Nobis itaque pene nequicquam adhuc laborasse videremur, si plagii vitiositatem detexisse liceret, curare & tollere non liceret.

§. II. Videntur autem mihi, si Plagii ac Plagiiorum sanationem aggrediar, quatuor præsttim capita consideranda, I. status rei litterariæ, II. intellectus humani vires, III. voluntatis humanae conditio, IV. scholarum & studiosorum ratiō.

§. III. I. Status rei litterariæ non minus variata fata habet, quam naues mercatoriæ, quæ modo pretiosis mercibus onustæ sunt, modo vilibus; modo cunctis mercibus orbatæ ad scopulos alliduntur ac diffractæ dissipantur, prout aut secundis ventis aut turbulentis tempestatibus utuntur.

§. IV. Veterem rei litterariæ statum declarat historia; recentior ante oculos nobis obversatur.

N

Digitized by Google

tur. Nunc eclectica philosophia in pretio est, cuius præstantiam non ita pridem magno argumentorum apparatu Aristotelicis & Cartesianis persuadere oportuit viros doctissimos. \* Ante paulo Cartesiana philosophia fuerat exorta, quam Scholastica præcesserat, scholæ Cartesianaæ inimicissima.

§. V. Scholastica Philosophia, ut de sectis veterioribus taceam, nihil pene habet egregii & ad vitæ communis usum præclari. Frivolas quasdam conjectatur subtilitates, a quibus nunc abhorretur. \*\* Ceterum pervulgata est & omnibus, qui literis nunc dant operam, adhuc notissima.

§. VI. Cartesiana Philosophia & multas & præclaras habet inventiones. Præclaræ vero res facile perversas aliorum cupiditates inflammat, ut furtum committere non dubitent. Sed ille dudum satis sunt vulgatae, ut, qui earum quasdam in librum suum sine Cartesii mentione transferat, is plagii crimen facile effugiat. Neque fortassis quisquam est tam vecors, ut Cartesii inventa, quippe notissima, sibi arroget.

§. VII. Restat igitur, ut de inventionibus recentioribus ac ignotioribus dicam. Quæ quidem tam sunt saepè & præclaræ & utiles, ut invinda laude digni videantur earum auctores. Hæ igitur demum sunt, quæ & Plagiariis lenocina-

\* Vid. Sturmii *Philosophia eclectica* tom. I. Exerc. I. & *Pbyſ. Hypothet. præfat.*

\*\* Vid. Verulamius *Nov. Organ. libr. I. apor.* 121. p. 137. 138.

cinentur, & ab iis cupide arripiantur. Hic itaque obſistendum eſt Plagiariorum infanizæ.

§. VIII. Antea vero quam exponamus, qua ratione iſti resistendum censeamus, ex brevissima illa, quam mox tradidimus, rei litterariæ histo-ria ſatis intelligi putamus, quam res litteraria adhuc augeri, firmari ornarique poſſit. Nam ſi ante Cartesium Aristotelico-Scholaſtica philoſophia præſertim floruit, ceteræque disciplinæ Plato-nica, Democritica, Stoica pene neglectæ jaceuerunt, oportet ſane multas res bonas eo tempore ignoratas eſſe. Sed indidem appetat & illud, multas adhuc res bonas ignorari, tametsi paulo ante Cartesiū tempora & circa viri quidam erudi-ti Stoicos, Epicureos, Platonicos affidue lectita-rint, & verum exquirere laborarint. Quamvis enim illi præjudicatas opiniones fugere voluerint, ta-men eas propter novum auctoritatis Stoicæ, Plato-nicæ, Democriticæ amore animadvertere ac de-ponere non potuerunt. Quin etiam nos, quanquam in præjudiciis abjiciendis operam diligentiamque, quanta in homines cadere potest, maximam col-loceamus, tamen fortassis nunquam iis plane libe-rabimur. Eſt enim ingenium humanum in conſiderantia, eſt auctoritatis ſtudio, eſt ad ſumam, ne singula narrem, plurimis imbecillitatibus obnoxi-um; quæ omnia mentis aciem ita perstringere & occæcare valent, ut veri falsoque diſcribant nec conſectetur ubique, nec alſequamur. Sæpe & feculi geniuſ tam malignus eſt, ut ne vetera qui-dem teneant Philoſophi, tantum abſit, ut noya &

inaudita & veriora conquerant. Concludo itaque & assevero, multas preclaras res impostorum inveniri posse, dummodo diligentia & industria ad res quaslibet considerandas afferatur.

§. IX. Quod quidem ipsum ut paulo creditibius fiat iis, qui ea de re dubitent: perpendi veniam immensam rerum casuumque naturalium copiam, infinitam rerum humanarum varietatem, diffusissimam veterum & linguarum & librorum amplitudinem, ex quibus illae nondum penitus notæ,\* hi nondum satis ad genuinum usum conversi sunt. Etenim etiam mirabilis illa veterum fabularum copia, recte intellecta, magnam Scripturæ S. affundit lucem; \*\* quæcunque autem huic usui deserviunt, eadem optima censemus & per vestigatione dignissima. Multi nunc extant libri veteres, qui multas res nobis ponunt ob oculos, quarum superioribus seculis magna erat ignoratio. \*\*\* Hos igitur qui sedulo per-

\* Unde novæ vocum significaciones annotantur subinde a Criticis, Clerico v.g. in Pedone Albinovano, Perizonio, aliisque alibi.

\*\* Vid. Huetii Demonst. Evangel. Et Juriue Historie Critique des dogmes Et des cultes Et c. passim. Dickinsonii Delphi phœnizisantes, Seldenis syntagma de Diis Syris, Texelii phœnix visus, Nicolaus Claudio Et c.

\*\*\* v.g. Lactantius de mortibus persecutorum, Evangelium Infantia Christi, Alcoranus, Specimen sapientie Indorum Starckii, Confucius, Et c. Quibus addipotest Pars scho-

perscrutabitur & acriter judicabit; næ is sæpe haud paulo minorem gloriam consequetur, quam nova veritatis auctor & inauditæ rei inventor. Multa nunc extant instrumenta, quæ ad accuratiorem rerum cognitionem nuper adinuenta sunt, antlia, barometra, thermometra, microscopia, telescopia, vitra caustica, alia, queis qui crebro, varie accircumspecte utetur, sicuti decet cum qui experientiæ laudem consequatur, non habet utique, quod veritatis inventionem desperet.\* Multa nunc extant & generalia & specialia philosophorum præcepta aut veteribus ignota, aut multo accuratius & clarius exposita. \*\* Quæ quidem si ubivis & quotidie ad quasvis res accommodentur, certe multa observabuntur ab aliis nondum animadversa. Adhæc quoniam veteres plerique & multi recentiores omnis pene in scribendo ordinis contemtores fuerunt, aut saltem incuriosi lauda-

N 3 tores,

*liorum Euſtathii & vita Procli, quam Fabritio integrum debemus, &c.*

\* Testantur id ipsum plurima Boylei, Needhami, Levvenboekii, Treunerii, Sturmii, Tschirnhausii, Malpighii, Grevvii, Ruyfchii, aliorum experimenta.

\*\* v.g. perspiratio insensibilis a Sanctorio, primum principium juris naturæ a Pufendorfio & Thomasio, criterium veritatis rerum moralium a Buddeo, Deorum gentilium origo a Jurius, Intellectus humani ratio a Lockio, ab aliis alia inventa & curiose tradita sunt.

tores, magna certe in laude versabitur, qui eorum etiam observationes digesserit & curatius explicuerit.\* Plura dicere brevitas nostra non patitur.

§. X. Illud vero cum primis magna laude ac præconio dignum est, quod hæc nostra ætas honestam honeste sentiendi libertatem amat & studiose tractatur. Sine hac enim esset, omne novarum bonarumque rerum inveniendarum frigeret, imo nullum esset studium.\*\* Quemadmodum enim in Papicolis lux veræ institutionis disciplinæque Apostolicæ a Luthero nostro restauratae, non potest cooriri, propter Inquisitionis sacræ, quam vocant, carnificinam: ita libertate sentiendi philosophias sublata, tollitur veritatis investigatio, quin etiam veritatis amor. Amor enim non cadit in eas res, quas metus, pessimus ad diuturnitatem custos, sancit & cogit.

§. XI. II. De statu literariæ rei, pro instituti nostri modo, satis dictum. Erit nunc humani ratio ingenii consideranda. Ingenii humani voce complectimur omnes eas mentis facultates,

qui-

\* Magnam hac eadem ratione fibifamam paravit Sturmias, cuius marbefis enucleata & collegium curiosum vel ob banc etiam causam commendabiles sunt maxime.

\*\* Gassens de Republ. Hebr. libr. III. cap. III. p. 369. Lugd. Bat. A. 1632. Malebranche de la Recherche de la vérité libr. IV. c. VIII. pag. 109. edit. quart. Paris. in 12. & presertim Lactantius divinar. Institution. libr. VII. c. VII. pag. 504.

quibus res ab aliis traditas promte intelligimus, & aliis rursus perspicue tradimus ; quibus res cognitas firmiter ac diu memoria tenemus ; & denique acute discernimus aut eleganter conjungimus. Brevius dixisse : Imaginationem, Memoriam, Judicium. Hæc omnia aut conjunctim insunt in singulis hominibus , aut separatim , & vel excellenter vel exiliter. Ubi notandum est sedulo, minus saepe eas facultates in eodem homine conjunctim excellere, separatim frequenter excellentissimas esse. Cujus rei causam Physici explicant, quos consulant qui plura volent. \*

§. XII. III. De voluntate humana illud scire hinc quidem nostra refert , eam corruptissimam esse, & ad varia vitia quavis occasione magno impetu ferri. Ea in tria genera potissimum descripsérunt Philosophi, Voluptatem, Ambitionem, Avaritiam. Quæ et si sunt in quovis homine conjunctissima, tamen certi eorum gradus notari queunt, quibus unum eorum cetera post se relinquunt. Ita alius alio est avarior, contraque minus ambitioni & voluptati deditus : quidam aliis superbiores sunt , minus contra voluptarii & avari, & sic porro. Qua de re universa post excellentissimum Thomasium præclare cogitavit & scripsit Buddeus vir doctissimus, quem harum rerum studiosi curiosique legant, velim. \*\*

§. XIII. IV. Hæc igitur tria momenta, postquam seorsim sunt annotata breviter, conjunctim

N 4

nunc

\* Vid. Huart. in Scrutin. Ingen.

\*\* In Ethic. cap. III.

nunc attendenda veniunt. In scholis enim omnino & rei litterariæ & ingenii voluntatisque humanae vitia tollenda sunt, aut saltem corrigenda. Quamobrem si tuto, si celeriter, si jucunde mederi velis Plagio, Scholarum ratio potissimum est habenda.

§. XIV. Primo itaque velim a magistratibus virisque prudentibus magnam scholarum curam geri. Cura autem illa, si me audias, versari debet eum in Praeceptoribus, tum in discipulis deligendis & honeste sustentandis. Praeceptores velim deligantur docti & probi, qui viam discipulis ad præclaralitterarum studia atque honestatem communire & valeant & velint. Discipulorum item hunc velim teneri delectum, ut ad litteras nemo admittatur, nisi qui insigni gaudeat ingenio, id est, qui aut memoria aut judicio aut phantasia præstet. Ceteri omnes, si Musis se obtrudere conentur, coerceri debent & prohiberi. Hi tales enim rei litterariæ non solum nihil emolumenti afferunt, sed etiam multum detrimeni. Nam cum paulisper studiosorum nomen gesserunt, in munera publica per fas & nefas se intrudunt; quod cum factum est, & ipsi nihil boni faciunt, & honesta ingenia quovis modo degravant, ne unquam emergant. Quod quin literis ac civitatibus pestilentissimum sit, nemo temere negaverit.

§. XV. Quodsi vero delectui discipulorum præficiantur viri honesti aedocti, tum necesse est, ut honestati pariter ac doctrinæ vacent discipuli. Qui si mature honestis moribus ac probitate assuefacti

suefacti fuerint, non facile unquam postmodum ad inhonestia facinora desciscant. *Natura enim tenacissimus eorum, que rudibus annis percipi- mus, ut sapor, quo nova imbuas, durat; nec Lunarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.\** Providendum est autem, ut solida & vera sit probitas ac morum innocentia, qua imbuedi sunt pueri. Ficta vero & ad fallendum composita plane exulet, quippe qua nihil pernicio- fius & Deo ignominiosius excogitari potest. At solida probitas esse non poterit, quæ non sit firmis- simis rationibus instructa, & cum variis scientiis linguarum, philosophiæ atque antiquitatum con- junctissima.

§. XVI. Ne quid vero in discendo perverse & inconsiderate fiat, facile præceptores ita efficient, si in docendo se ad ingenium naturamque juventutis accommodent. Hujus enim natura cum primis consideranda est. Est autem natura juven- turis hæc: organa sensuum integra & incorrupta affert ad imbibendas res eas, quæ intellectui perficiendo inserviunt; cerebrum habet molle & re- cipiendis ideis variis apprime accommodatum; ubi cerebrum ideis hisce repletum & instructum satis est, tum subinde judicium augescit, quo verum a falso, utile a noxio & vano internoscitur.

§. XVII. Hinc igitur liquet, pueritiam ado- lessentiamque iis studiis impertiendam esse, quæ memoriam ideis & idearum nominibus locupletent, sciteque exornent; deinde, crescente ætati,

N 5

judici-

\* Quintil. *Instit. orat. libr. I. c. I.*

judicium tolendum solidis præceptis inveniendi veri & boni; ut errorum periculis vacent juvenes & boni quasi officiorum ratiocinatores sint, qui, cum tempus postulat, addendo deducendoque statim videant, quæ, si hoc illudve faciant vel omittant, reliqui summa fiat, ex quo, quid quovis loco ac tempore agendum sit, intelligent.

**S. XVIII.** Quisquis ita institutus fuerit, isti dubito quin egregie in litteris proficiat, & præclaras res ipse tandem inveniat. Quicunque autem ipse ex cerebro suo bonum inventum demonstrare potest, etiamsi non sit admodum spectata probitatis, tamen nunquam committet, ut alienarum inventionum auecupetur gloriam. Ego enim ita sentio, neminem studiosius inventorum alienorum famam captare, præter quam qui nihil ex ingenio suo promere valet. Qui enim valet, si facile propriis laudibus contentus, alienis nec invidet nec obrectat, nec insidiatur, nisi forte pessimis sit moribus. Ut enim in civitatibus nemo temere ditiaribus hominibus magis insidiatur & invidet, quam qui paupertatis catnificina cruciatur: ita in te litteraria, misella præsertim ingenia doctis viris invident, & quæ possunt, detrahunt.

**S. XIX.** Illud quoque opera danda est, ut homines literis vacantes persuadeantur, non ex librotum confectione, sed ex consensu vita cum præclara doctrina metiendam esse litteratorum præstantiam & dignitatem. Multo enim difficilis

ficius & honestius, vitam consentire doctrinæ, quam præcepta philosophiæ sibi met ipsis responderet. Socrates nihil scriptum reliquit, nihilo secius magno consensu sapientiæ professorum celebratur Socrates; quod & primus de morum cultu differuit, & vitam, quoad homo gentilis potuit, ad sanæ rationis præscriptum conformavit.

§. XX. Neque temere plagiarii evadent studiosi, si mature illis potissimum se dedant scientiis, ad quas ipsorum natura præcipue est accommodata. Juvenes qui judicio valent potissimum, ad artes, quæ acrem judicij vim postulant, adducantur. Quod isti quidem lubenter patientur. Etenim quia ipso naturæ instinctu ad illas, quas dixi, artes ducuntur, non necesse est, ut ad eas magni verborum apparatu pelliciantur. Atque instinctum suum qui sequuntur, facile in eo studiorum genere, quod instinctui consentaneum est, excellunt. Qui autem excellent, ii cur aliis, quibus pares aut non multum inferiores sunt, inventorum gloriam adimant, nisi ab humanitate plane alieni sint, non intelligo. Pari ratione ceteros quoque, qui in tribuenda imaginatione ac memoria benignam naturam nati sunt, tractandos censem. Hi enim ad eas scientias, quæ imaginatione & memoria felicissime condiscuntur, maturare jubeantur aditum. Namque sic iidem ad altissimum doctrinæ gradum adscendent, ad quem non essent perventuri, si quod aliud studiorum genus amplecterentur. Cum autem summa, aut summo

mo proximum gradum attigerint. & in honestate non plane hospites fuerint, a Plagii turpitudine erunt remotissimi. Ita simul aliis occurretur in commodis. Scilicet non erit necesse, ut isti homines moneantur, ne scientias, quas non penitus didicerunt, callere videri gestiant. Quales, si quid scribere aggrediuntur, a plagiis sibi vix carent. Nam dum ingenium ostentare conantur, nec tamen, quod ostentent, habent; alienis laboribus improbe & furtim utuntur, nisi forte emendatioris sint voluntatis & ingenii excellentioris.

§. XXI. Apparet igitur, omnibus qui litteris se fendant, commendatissimam esse debere voluntatis emendationem. Semper enim & ubi vis peccabitur ab iis, qui voluntatis, per naturam vitiosissimæ, curam negligent. Quam quidem curam qui recte suscipere cupiant. ii diligenter obseruent oportet præcepta Theologorum nostrorum Chemnitii, Gerhardi, Musæi & aliorum, qui de penitentia & fide scripsierunt curatissime. Mibi enim exploratum est & certum, Philosophos, quæ natura facit, aditum ad sapientiam querere, sed philosophos, qui simul Christiani sunt, ad intimos sapientiae recessus admitti, & cumulate beari.

§. XXII. Hæc, quæ modo tradidimus, præcepta latissime patent. Dabimus nunc aliqua paulo arctiora; ut si superiora illa minus observentur, hisce tamen Plagium utcunque præcaveatur.

§. XXIII. MStorum plagium non potest melius præcaveri, quam si auctores ea vel amicis fidis

ac sinceris ante mortem ad edendum tradant, vel ipsimet mature edant, aut saltem catalogum eorum publicent. Optime scriptores lucubrationibus suis consulunt, cum communicationem eorum non nimis tardant. Retardatio enim quamquam libros politiores melioresque faciat; tamen siccirco scriptoribus non nimis jucunda esse debet. Nam etiam editi libri perpoliri possunt, & aliis interea utilitatem afferunt. Quæ nulla esset, si libri premerentur. Propinquorum amicorumque fidei & curæ qui nimium tribuit, frequenter fallitur. Officium, quod Auctor sibi ipse non præstat, multo minus ei ab amicis propinquisque, ut communes hominum mores sunt, præstari solet. Quamobrem aut sua quisque scripta mature præferat, aut certos ac sinceros amicos ad proferendum cohortetur. Sin hoc non liceat, at certe catalogum eorum edere licebit, qui vel bibliopolas ad eos edendos illeget, vel eruditos viros ad eorum fata attendenda instiget, vel studiosos MStorum emtores stimulet, ut in bibliothecam aliquam insigniorem inferantur.

§. XXIV. Plagium inventionum nondum litteris mandatarum ita demum cavebitur, si eas viri docti celent, donec in lucem prodeant. Sed, ut confessim in lucem prodeant, auctori allabrandum est. Sin Auctor eas politissimas ac perfectas edere malit, cavebit, ne uni soli, sed pluribus simul eas aperiat. Quæ enim unus aliquis sine arbitris ac testibus audit, facile a se audita esse nega-

re

re potest. Quod longe secus est in iis, qui eodem tempore & in magna frequentia rem singularem audiunt.

§. XXV. Plagium librorum integrorum & aliqua parte mutatorum auctorumve præcavetur, cum bibliothecæ curiose & instruuntur & perlustrantur. Nam cum libri plurimi in unum locum congesti sunt, & sic inter se comparari possunt: facile ex comparatione curiosis librorum lectoribus furta innotescunt. Quæ si deinde crebro contentur ac vituperentur, alios a similibus furandi conatibus deterrebunt. Nemo est enim, qui monumenta famamque suam turpi stigmate inustam velit.

§. XXVI. Plagium singularum sententiarum & inventionum ita demum tolletur & extirpabitur, si pœnæ statuantur vanissimis alienarum rerum ostentatoribus. Sin hoc sperare non lieeat, ut vanitas ista & ostentatio pœnis cœrceatur: confugiendum est ad ephemерidum auctores, qui cum præstantissima quæque inventa quotidie & legant & annotent, facile nobis indicare possunt, quid si quisque invenisse videatur, ab aliis dudum inventum & propositum. Atque hoc consilium non potest melius perfici, quam ab illa societate, quæ excerptis suis tantam sibi gloriam peperit, ut nihil accedere posse videatur. Constat enim societas illa viris doctissimis compluribus, qui optimè norunt; quid auctor quisque revera novi proficerat; ut illi ipsi fatentur, qui suis in libris res no-

Vas ac præclaras primi exposuerunt, & a societate ista recensiti sunt. Quodsi vero societas illa præclarissima diligenter annotaret, quid quisque nunc primum & vere novi afferret, quid quisque minus vere primus sibi afferre videretur: tum aut puderet quosdam posthac sibi falso quicquam affingere, aut si quosdam nihil puderet, facilius tamen inquiretur & cognosceretur, verene eandem rem ipsi quoque post alios invenerint, an minus. Possunt enim unam eandemque rem plures invenire, etiamsi nihil de ea inter se communicent, ut supra diximus. Sed an illi, qui sibi quid communiter & sine ullo doctore in mentem venisse dicunt, vere id dicere queant; id demum est, quod mature exquiri & cognosci velim. Si, adhibita inquisitione, vanus quis ostentator inveniretur, tum vero hominis temeritatem accusari vituperari quo velim ita, ut supra demonstravi.\* Contra innocentes debita laude essent afficiendi & ad majora tentanda instigandi.

§. XXVII. Plagium, quo decorum violatur, tum maxime fugietur, cum decori natura curatius considerata & perspecta fuerit. Quæ quidem tam erat diligenter exploranda & cognoscenda, quam ceteræ litteræ, quæ ab humanitate nomen acceperunt. Neque enim aut jucunditatem aut utilitatem minorem afferit decorum cultoribus suis, quam illæ ipsæ, quas dixi, litteræ.

## §. XXVIII.

\* c. XIV. §. 10. & cap. XVI. §. 25.

§. XXVIII. Cetera plagia, sive ex voluntate humana sive ex intellectus imbecillitate nascantur, tolli nequeunt rectius, quam iis consiliis institutisque, quibus universam plagiorum turpitudinem tolli posse, initio censuimus. Bona scilicet institutio, studioſa voluntatis emendatio, perpetuus studiorum ordo, omni perversitati pravitatique humanæ naturæ feliciter medentur. Quæ ut omnibus obtingant, merito omnes exceptamus.

# FINIS.





# SUMMA CAPITA SINGULORUM CAPITUM.

## CAP. I.

### DE ORIGINE ET USU VERBORUM PLA- GII ET PLAGIARIORUM.

§. I. Instituti totius, & præsertim hujus capitis, ratio declaratur. §. II. Etymologia Plagii. §. III. Plagium quid proprie & usitate significet. §. IV, V. Cur abactus hominum appellatus fit Plagium? §. VI, VII. an latinum verbum Plagium a græco πλάγιω derivandum fit? §. VIII. Quis proprie Plagiarius appelletur? §. IX. quid tropice Plagiarius vocetur? §. X, XI. Tropica plagii & Plagiarii significatio in hoc libello attenditur. § XII. Ea latissime patet. §. XIII, XIV. seqq. ostenditur, quid ad plagium litterarium requiratur. §. XV. An Prophetæ, qui alienas revelationes pro suis venditabant, Plagiarii queant appellari commode? §. XVI. An, qui descriptiones alienas inventorum alienorum pro suis edunt, Plagiarii sint appellandi? Itemque ii, qui alienas librorum Anglicorum, Gallicorum &c. versiones pro suis edunt? §. XVII, XVIII. Cetera plagii requisita explicantur.

## CAP. II.

### DE VARIS PLAGII GENERIBUS.

§. I. Plagii divisio unde petenda. §. II. Plagium grave & leve. §. III. Plagium inventionum auditum & lectorum. §. IV. plagium manifestum &

O

occul-

occultum. §. V, VI Plagium librorum veterum & recentiorum. §. VII. Plagium contra libros gentium exterarum & popularium commissum. §. VIII. Plagium totale & partiale. §. IX. Plagium totale & partiale. §. IX. Plagiam parvum & magnum. §. X. Plagium crassum & subtile. §. XI. Alia plagii genera proponuntur. §. XII. Cui usui sint haec plagi divisiones?

### CAP. III.

### DE ORIGINE EX PERVERSITATE HUMANÆ VOLUNTATIS.

§. I. Quid homines scire & facere debeant? §. II. Qui sapientes appellantur? §. III. An multi fuerint sapientes? §. IV. Libri boni quo in pretio sunt? §. V, VI. affectus, qui ad plagium committendum instigant, e.g. æmulatio & prava laudis cupiditas. §. VII. Indignatio & cupiditas ultionis. §. VIII. Invidia. §. IX. metus periculi ex approbatione inventorum quorundam orientis. §. X. pigritia. §. XI. diffidencia. §. XII. spes præmiorum. §. XIII. Amissio veris quedam & usus præceptorum.

### CAP. IV.

### DE ORTU PLAGII AB INTELLECTU.

§. I. Ignorantia saepc est causa plagi. §. II, III, IV. quo modo id fieri possit? §. V. Imitatio est alia causa plagi, item §. VI. dubitatio. §. VII. Consilium, quo dubitationes hujus generis scriptoribus eximantur.

### CAP. V.

### DE ORTU PLAGII EX VITIOSÆ VOLUNTATIS ET INTELLECTUS CONJUNCTIONE.

§. I. Ad unum idemque plagium s<sup>e</sup>pe plura voluntatis & intellectus vitia concurrunt. §. II. Quomodo plagium aliquod ex dissidentia & arrogantia oriatur. §. III. Quomodo ex imitatione, metu & arrogantia. §. IV. Exemplum Plagii ex pigritia & arrogantia nati. §. V. Unde plura exempla petenda sint. §. VI. Transitus ad caput proximum.

## CAP. VI.

### DE VARIA PLAGIORUM TURPITUDINE.

§. I. Plagium committitur adversus inventa omnis generis. §. II. Communis Plagiorum omnium turpitudo ex famae detractione & impostura judicanda est. §. III. Quanta turpitudo sit Plagii contra MSta solidar doctrinæ seu sapientiæ plena commissi? §. IV. Quanta turpitudo sit Plagii, quo contra præceptiones a vera sapientia remotiores peccatur? §. V. Quanta turpitudo sit plagii, quo inventa nondum litteris mandata diripiuntur & reduntur? §. VI. Quanta turpitudo sit plagii, quo Plagiarius existimatione a Inventoris tanquam ex semisse secum participat. §. VII. Quanta turpitudo sit plagii contra libros recentes commissi? §. VIII. Exemplum ejusmodi Plagii. §. IX. Quanta sit turpitudo Plagii, contra libros veteres aut ignota lingua scriptas commissi. §. X. Exemplum Alcyonii. §. XI-XV. Quanta sit vitiositas Plagii, quod usu paucarum sententiarum admittitur. §. XVI, sq. An communio quædam inventionum esse possit, & vitio vacet? §. XVIII. An Plagium exterorum culpa careat? §. XIX. de Plagio pigritiæ, superbiz, ceterorumque affectuum & §. XX. de Plagio igno-

rantiae ac dubitationis. §. XXI. Animadversio quædam & admonitio de varietate allatorum plagiærum. §. XXII. Alia quædam animadversio. §. XXIII. Quantam turpitudinem tribuant Judæi prophetis afflatus divini vanis ostentatoribus. §. XXIV. Objectioni cuidam respondetur.

### CAP. VII.

**QUANTA PLAGII VITIOSITAS SIT, SI CUM  
ALIIS VITIIS COMPARETUR. ET, UNDE VI-  
TIOSITAS ILLA AUGEATUR.**

§. I. Connexio hujus capitatis cum superiore. §. II, III. Quodnam fundamentum sit comparatio-  
nis Plagii & aliorum vitiorum. §. IV. Quænam vi-  
tia nos cum plagio comparare velimus. §. V. Quod-  
nam genus plagiæ cum furto comparemus. §. VI.  
Quanam re metienda sit præstantia inventionum  
& rerum corporearum. §. VII. Status humanæ na-  
turæ quisnam sit? §. VIII. An res corporeæ huma-  
nis miseriis medeantur? §. IX. Quotuplices sint  
præceptiones humanæ? §. X. an cogitationes quæ-  
dam subtile pravitatem humanam corrigant, &  
§. XI. rebus corporeis præstent? §. XII, XIII, XIV.  
an cogitationes quædam faciles præstent rebus  
corporeis. §. XV. Sapientia tollit pravitatem hu-  
manæ naturæ. Ac præstat rebus omnibus. Qua-  
re §. XVI. Plagium tanquam pestis sapientiae tur-  
pius est furto. §. XVIII. Comparatio personarum,  
quæ furto & plagiæ lœduntur. §. XIX, XX, XXI.  
An plagium, dum sapientem lœdit, turpius sit furto?  
§. XXII, XXIII. An plagium, dum argutatores lœ-  
dit, turpius sit furto? §. XXIV. An plagium turpi-

us fiat, si viros honoratos laedit? §. XXV. Comparatio Plagii, quo tenuis fortis homo laeditur, cum furto, quo pauper laeditur. §. XXVI, XXVII, XXVIII. Comparatio status furum ac plagiariorum. §. XXIX - XXXIII. Modi committendi furti & plagii comparantur. §. XXXIV. Monitum de modis Plagiorum & furorum. §. XXXV - XLI. Comparatio Plagii & calumniæ. §. XLII. Comparatio Plagii & criminis falsi. §. XLIII. Animadversio quædam proponitur. §. XLIV. alia animadversio. §. XLV. defenditur conatus comparandi plagi cum aliis vitiis. §. XLVI. Utilitas illius conatus ostenditur.

### CAP. VIII.

**QUINAM ERUDITORUM POTISSIMUM ET  
PER NATURAM SUAM PLAGIARII SINT.**

§. I - IV. Plagiarii facile fiunt; qui minus bene instituuntur. §. V. deinde, qui ingenio non valent. §. VI, VII, VIII. tum, qui ambitiosi sunt. §. IX, X. sæpe melancholici quoque. §. XI. & voluptarii. §. XII. Animadversio quædam proponitur. §. XIII. In quonam studiorum genere plurimi sint plagiarii? §. XIV. Theologorum nostrorum meritissima laus. §. XV, XVI. Judæi an plagiarii sint? §. XVII, XVIII. An Genius seculi faciat plagiarios, id est, quibus temporib⁹ plagium regnare soleat, & olim regnaverit? §. XIX - XXIII. Duo tempora, quo plagium floruerit, notantur.

### CAP. IX.

**DE PLAGIARIORUM ARTIBUS IN OC-  
CULTANDO PLAGIO.**

§. I, II. Quis artes illas optime dividat? §. III.  
 IV. Artes Plagiatorum decipiendi auctorem, qui  
 inventa sua nondum edidit. §. V. Artes plagiato-  
 rum auctorem decipiendi, qui scripta sua perfecit  
 & edere vult. §. VI, VII, VIII. Artes auctorem de-  
 cipiendi, dum is scriptum suum edit. §. IX-XIV  
 Artes Plagiatorum in occultandis dissimulandis  
 que scriptis Inventorum. §. XV, XVI, XVII. Ar-  
 tes plagiatorum in semetipsis ostentandis. §.  
 XVIII-XXII, Artes Plagiatorum in Auctorum &  
 scriptis dissimulandis & auctoribus contemnendis  
 §. XXIII. Animadversio quædam, §. XXIV. Ali-  
 quædam animadversio.

### CAP. X.

#### DE MODIS, QUIBUS PLAGIUM IN- VESTIGETUR.

§. I. Ratio hujus capititis. §. II. divisio modorum  
 quibus Plagium pervestigetur. §. III. Modus pri-  
 mus generalis. §. IV. Modus secundus. §. V. Modus  
 tertius. §. VI - XV. Ceteri modi proponuntur. §.  
 XVI-XX. Speciales modi Plagium inquirendi. §.  
 XXI. Animadversio quædam exhibetur.

### CAP. XI.

#### DE OFFICIO ACCUSATORIS PLAGIA- TORUM.

§. I. Cur Accusatores Plagiatorum hic si-  
 confiderandi? §. II. Quid in accusatione Plagiato-  
 rum spectandum sit. §. III, IV. Officium Accu-  
 satoris primum. §. V. Alterum excusatoris of-  
 ficium. §. VI - IX. tertium ejus officium. §.  
 officium quartum exponitur. §. XI. Muhamme-

us Scripturae Sacrae Plagiarius promittitur. §.  
XII. Monitum quoddam. §. XIII. Aliud moni-  
tum. & XIV. Exempla Plagiariorum, nondum in  
Plagiariorum catalogos relatorum. §. XV. Optio  
uædam Auctoris.

## CAP. XII.

### DE PLAGIARIORUM DEFEN- SORIBUS.

§. I. Connexio hujus capitatis cum superiore.  
II. Scopus hujus capitatis declaratur. §. III-VI.  
Quid defensori agendum? §. VII. Exempla qua-  
rum defensorum.

## CAP. XIII.

### DE PLAGIARIORUM ARBITRIS.

§. I. Connexio capitatis hujus cum superioribus  
II. officium arbitri. §. III. An feminæ judices  
se possint Plagiariorum? §. IV. Exemplum arbi-  
tingens. §. V. Boni arbitri quadam re cognos-  
cantur? §. VI. Optatio Auctoris.

## CAP. XIV.

### DE PLAGIARIORUM POENIS.

§. I. An puniri possint Plagiarii, & quomodo?  
II. Qua poena possint affici Plagiarii MStorum.  
II. Quæ poena possit sumi a Plagiariis inventio-  
na nondum conscriptarum? §. IV. Quæ poena  
ponenda sit ceteris Plagiariis? & §. V. iis præ-  
tim, qui decorum violant? §. VI. Repetitio sen-  
tia §. I. propositæ. §. VII. Cur plagiarii poenis  
rcendi? §. VIII-XI. Quas peccatas nos plagiariis

statuamus? §. XII. An Plagiarius Plagiarii poenas dare debeat? §. XIII. Cur nullus adhuc Plagiarius justas poenas rei litterariae persolverit. §. XIV. An Plagium omne semper poena vindicandum?

## CAP. XV.

### DE UTILITATE NOTITIAE PLAGIARIE REI.

§. I. Scopus hujus capituli. §. II. Utilitas rei plagiariae prima. §. III. Utilitas secunda. §. IV. Utilitas tertia. §. V. Utilitas quarta. §. VI, VII. Aliae quædam utilitates. §. VIII, IX. utilitas primaria. §. X. Monitum quoddam.

## CAP. XVI.

### CONSILIA DE PLAGIO FUNDITIS E RE LITTERARIA TOLLENDO, AC PRÆCAVENDO.

§. I. Ratio hujus commissationis. §. II. Quid spectare debetas in consilio de Plagio funditus tollendo? Quod §. III - XII. copiosius declaratur. §. XIII - XVIII. Consilium nostrum explicatur. §. XIX - XXI. alia quædam generalia consilia proferuntur. §. XXII. & XXIII. Consilium de præcavendo Plagio MStorum. §. XXIV - XXVIII. Consilia de ceteris Plagii generibus ca-









